13.6.9.34

RHETORICÆ
LIBRI DUO,

Quorum prior agit de

TROPIS.

ALTER DE

FIGURIS
RHETORICIS,

Quæſtionibus & Reſponſionibus
Concinnati; Notiſq; brevioribus
Illuſtrati.

A *Guilielmo Walker*, S. T. B.
Scholæ *Granthamienſis* in Agro *Lincolnienſi*
Magiſtro.

Editio Secunda priori auctior, elucidior, emendatior.
Δευτέραι φροντίδες σοφώτεραι.

LONDINI,
Typis *J. Macock*, impenſis *Joſephi Clark*, ſub ſigno Stellæ
in vico vulgò vocato Little Britain. 1672.

5293.350

Viro Cum Primis Reverendo

Dno THOMÆ PIERCE

SACRÆ THEOLOGIÆ

DOCTORI, &c.

Guilielmus Walker παρευδαιμονεῖν.

Reverende Vir,

NEC mihi primùm edituro, neque ſecundùm edenti, meos hoſce de *Tropoſchematologiâ Rhetoricâ* Libros, diu deliberandum erat, cujuſnam potiſſimùm Nomini iſtos dedicarem. Hoc etenim omne, quantumcunque id eſſet, ſive Honoris, ſive Officii, Tibi in primis à me præſtari, cum præcellentes *Virtutes* Tuæ, tum perilluſtria Tua in me *Beneficia*, ſuo quaſi jure poſtulabant. Quæ quidem utraque ſunt ejuſmodi, ut cum nullo tacenda modo eſſe videantur, publicè tamen, ac pro merito de iis dicere pertimeſcam. De *Virtutibus* quidem Tuis vereor dicere, ne Venerando Nomini Tuo vel *Invidiam* faciam, vel

Injurius existam. *Invidiam* quippe faciam, si paulum modò quid amplius dixero, quàm alii, vel de Te crediturí sunt, vel sibi de seipsis conscii erunt. *Injurius* autem existam, si quâ in re quid minus dixero, quàm par est tanto de viro dici, cui virtutes sic omnes insunt, ut singulæ emineant. De *Beneficiis* item Tuis dicere vereor, ne, dum videri non ingratus conor, magnarum mole rerum penitus opprimar: cum Tua meas merita laudes longè exsuperent, multoque sint majora Tua in me *Beneficia* amplissimis meis omnibus gratiarum actionibus.

Quum verò tot & tantas *Virtutes* Tuas, tot & tanta Tua in me *Beneficia*, si nullo exculta munere dimittam, abesse non possit, quin omnium post homines natos ingratorum ingratissimus evadam, Tuo proinde Nomini conscriptum hoc à me Opusculum consecratum, eo, quò existat publicum, utinam confiat item æternum, quà Tuæ in me quàm amplissimæ *Beneficentiæ*, quà meæ erga Te quàm debitissimæ *Observantiæ* Monumentum.

Multò multò nobilius, magisque augustum à me poscebant Monumentum Tuæ illæ tum *Virtutes*, tum *Beneficia*. Cæterùm, consultis tandem facultatulis meis, illud Tibi offerre sum ausus munusculum, non quod Tuæ esset *Dignitati* aptissimum, sed quod meæ erat *Parvitati* convenientissimum. Quod quidem si Tua æqui bonique fecerit *Humanitas*, in ipso tantùm

tùm non cœlo me collocatum arbitrabor.

De cætero, *Reverentiæ Tuæ*, Tuisque omnibus vitam, salutem, incolumitatem, honorem, & quæcunque alia fausta, feliciaque fuerint, cœlitus donari intimis, ardentissimis animi mei votis precor, & exposco. *Tutelæ* deinceps Tuæ, quicquid hoc Opusculi est, humiliter committo & commendo. Supplicibusque à Te quæso, & contendo precibus, ut quemadmodum es dignatus operis *Auctori* esse Patronus, ita & digneris Auctoris *Operi* patrocinari. Hoc si feceris, quod ut Te facturum sperem, monet me, ac jubet Tua, non vulgaris quidem, sed singularis quædam *Humanitas*, id es mihi facturus, quo, quod fieri possit mihi gratius, nihil est. Vale tandem in Christo, ac salve plurimùm, admodum Reverende Domine, æternùm celebrande Patrone; & quâ es adhuc benevolentiâ complexus, eâ complecti usque propitius pergas

Granthamiæ,
XIV. Cal. Jul.
Ann. Dom.
1672.

Humillimum, devotissimum
Reverentiæ Tuæ
Servulum ac Clientulum

Guilielmum Walker.

Præfatio ad Lectorem.

Lector Humane,

QUum varii ſint Artis Rhetoricæ Scriptores, qui noſtris in Scholis hoc tempore verſantur, illorum tamen omnium, ſaltem quorum videndi adhuc mihi copia contigit, ne quidem unus exiſtit ullus in noſtræ uſum pueritiæ conſcriptus, qui mihi per omnia ſatisfaciat. *Vel enim*, breves *dum eſſe volunt, ita rem, præcipuè Troporum*, obſcurè *in pleriſq; tractant, ut puerorum intellectum prorſus excedant*; *Vel* Methodo *ita* præpoſterâ *tradunt, ut Troporum* Generibus Affectiones *præmittant, & ignotum per ignotius intelligendum exhibeant*; *Vel denique aut* Logicâ *Rerum, aut* Etymologicâ *Nominum* Explicatione, *ſine quâ haud eſt ut quis in Artè hac percipiendâ multùm proficiat, omnino, aut magnâ ex parte deficiunt. Quod cum vidiſſem, ſerióque apud me ſæpiùs conſiderâſſem, rem facturus gratam pueritiæ Inſtitutoribus videbar, ſi ejuſmodi Inſtitutionem Troposchematologiam in Scholarum uſum adornarem, quæ ab illis omnibus ſeu vitiis, ſeu defectibus immunis foret, vel ſaltem minùs illis abundaret. Rem*

tandem

tandem (juvante Deo) confeci; confectam in apertum protuli; prolatam doctis placuisse viris non tristis cognovi. Cum autem, contra quàm opinabar, aliquibus in locis obscurior videbar, totam denuo Rem ad incudem reduxi, & secundis meis curis *& cogitationibus multo, quàm antea,* lucidiorem *effeci. Quam quidem ad rem definitiones quasdam breviavi, quasdam ampliavi, quasdam geminavi, omnes, ubi opus erat, faciliores reddidi. Nonnulla* addidi, *quæ plus adhuc allatura lucis videbantur; quædam* omisi, *nempe quæ sunt visa additis minùs necessaria; paucula* mutavi, *sed pro aliis, quæ illis multo esse futura utiliora censui. Quin ipsam* Verborum compositionem, *ubi nimis* Artificiosa *esse videbatur, quò esset Liber intellectu facilior, in paulo* Naturaliorem *immutavi: contentus minùs eleganter loqui, modò magis intelligenter loquerer. Denique, ne multus sim in re non magnâ, Totum Opus ita in discentis usum quâ potui cunque ratione adaptavi, ut permagna me spes jam teneat, non futuram ullam deinceps causam de ullâ ejus* difficultate *conquerendi. Unicum tantùm præfatum velim apud Doctiores Juventutis Institutores, nempe esse integrum per me illis, quæ interposui & intermiscui Logica Rhetoricis, ea omnia illibata prorsus & intacta relinquere, nec quicquam suis, quod non purè sit Rhetoricum, Discipulis prælegere. Quanquam non sunt magnâ sine causâ* Logica Rhetoricis admista, *ut quæ Rheto-*

ciris non minimum lucis adferant, imò absq; quibus si foret, vix esset ut ipsa quisquam Rhetorica intelligeret. Hinc illud viri in omni politioris literaturæ genere facilè principis Dom. Joh. Gerardi Vossi, *Partit. Orat. l. 1. p. 11.* Nemo nisi Logicis imbutus ad Rhetoricen admitti debet. *Item ib. p. 17.* Quæ omnia exemplis illustraremus, nisi istæc notissima forent è Logicis, quorum intelligentem priùs esse oportet, si quis seriò Rhetoricari volet. *Item lib. de Rhetorices Naturâ ac Constitut. p. 32, 33.* Adde quod, ut in cæteris disciplinis, ita in hac quoque necessarius est vocabulorum Logicorum usus, absque quorum intelligentiâ non minùs penè animus caligabit, quàm si quem ignotâ loquentem linguâ audiamus, &c. *Æquâ jam velim lance meam hanc cum quavis aliâ molis non majoris Rhetoricâ conferas; & utra tandem tibi magis placebit, hac per me tibi magis uti licebit. Interim scias ita fuisse tui me commodi cupidum, ut præ eo nullam velotii, vel negotii mei rationem habuerim. Si tuâ quod ego gratiâ hoc in opere præstiti es boni consulturus, hac ratione mihi plus deinceps & ô'ei & operæ meæ in bonum vel tuum, vel publicum, insumendi animum facies. Vale feliciter: & si quid his novisti rectius, candidus impertias; sin minùs, his mecum placidus digneris.*

INDEX

INDEX.

A.

Accidens. 40
Actio pro agente. 35
pro effectu. 34
Actio corporis. 171
Adjunctum. 30
adhæsionis. ib.
inhæsionis. ib.
locationis. ib.
occupationis. ib.
pro subjecto. 46
Admiratio. 163
Advocatus pro reo. 44
Ænigma. 84
Ætas pro personis. 47
pro rebus. ib.
Æternum pro diuturno. 20
Ætiologia. 132
Affectiones Troporum. 4
Affectus pro Effectu suo. 33
Affectuum concitandorum Figuræ. 153
Agens pro actione. 35
Allegoria. 80
pura. 83
mixta. ib.
Anachoresis. 167
Anacœnosis. 126
Anadiplosis. 95
Analogia. 52
Anaphora. 97
Anastrophe. 117
Anima pro corpore. 19
Anomœosis. 136
Antanaclasis. 107
Antecedens pro consequente. 44
Anthypophora. 123
Antimetabole. 141
Antimetathesis. 140
Antistrophe. 129
Antistoichon. 120
Antithesis. 120, 138
Antitheton. 138
Antonomasia. 14
Aphæresis. 120
Apocope. ib.
Apodioxis. 165
Apodosis. 135
Apophasis. 62, 144
Aporia. 154
Aposiopesis. 155
Apostrophe. 158
Ἀρχὴ. 162
Asteismus. 161
Asyndeton. 87
Aversio. 158
Author. 26
pro dicto vel scripto. 32
pro alieno facto. 36
Auxesis. 67

B.

Baiion. 130

C.

C.

Acemphaton. 115
Cacosyntheton. 113
Catachresis. 64
Causa. 24
meritoria. 26
moralis. ib
proegumena. ib.
procatarctica. ib.
Causarum numerus. 24
Causatum. ib.
Certus numerus pro magno. 21
Charientismus. 160
Chria. 131
Climax. 96
Color pro colorato. 47
pro prætextu. 133
Collatio. 136
Comparatio. 135
Compositum. 8
pro materiâ 17
pro forma. ib.
Concessio. 127
Concitandorum affectuum Figuræ. 153
Conclusio. 124
Concomitans pro concomitante 49
Confessio. 128
Connexum pro connexo. 49
Consequens pro antecedente. 48
Contentum pro continente. 50
Continens pro contento. 45
Contractionis figuræ. 89
Contradicentia. 59
Contraria. 58
Corpus pro membro. 19
Correctio. 155
Curiositas. 110

D.

Decrementum. 150
Defectio. 163
Deus loci pro loco. 43
pro templo. ib.
pro re cui præsidet. ib.
Dialyton. 87
Diaphora. 136
Diatyposis. 133
Diasyrmus. 160
Diæresis. 91
Differre numero. 7
specie. 6
Digressio. 167
Disparata. 57
Dispositionis Figuræ. 164
Distributio. 132
Dubitatio. 154

E.

Ecphonesi. 153
Effectum. 27
pro Efficiente. 35
pro Occasione vel Merito. 37
Efficiens. 25
principalis. ib.
minus principalis. ib.

quo-

quemodo distinguitur à Fine. ib.
pro Effecto. 34
Ellipsis. 86
Enumeratio. 124
Epanaclesis. 168
Epanalepsis. 100
Epanodos. 101, 141
Epanorthósis. 155
Epentheſis. 120
Epimone. 106
Epiphonema. 141
Ἐπιτροπὴ. 99
Epiſtrophe. ib.
Epitheton
effecti tributum efficienti. 38
totius tributum parti. 20
Subjecti tributum adjuncto. 50
Epiſtrophe. 128
Epitrope. 129
Epizeuxis. 93
principii. 113
finis. 114
Eroteſis. 158
Euphemiſmus. 161
Εὐχὴ. 164
Exaggerationis figura. 142
Exclamatio. 153
Execratio. 162
Exemplum. 134
Exergaſia. 109
Explicationis figura. 130

F.

Facinus pro morali causâ. 37
Factum pro faciente. 36
Figura. 85
dictionis. 86
ſententiæ. ib.
diſpoſitionis. 164
Finis. 28
pro medio. 39
Forma. 8
pro Compoſito. 18
Formatum. 17
pro Formâ. ib.

G.

Genus. 6
Genera Troporum. 3
Geſtus Corporis. 171
Gnome. 130

H.

Habere partem extra partem, quid. 9
Hendiadys. 91
Hirmus. 152
Homœoptoton. 115
Homœoteleuton. 113
Hypallage. 117
Hyperbole. 67
Hyphen. 90
Hypobole. 124
Hypophora. 122

Hypotypôsis. 133
Hysteresis. 71
Hysterologia. 119

I.

Icon. 135
Imago. ib
Imitatio. 162
Imperator pro exercitu. 44
Incrementum. 149
Individuum. 7
pro { Genere. 13 / Specie. ib. / Individuo. 14 }
Infinitus numerus pro magno. 21
Instrumentum. 27
pro Efficiente. 37
pro Effecto. 34
Interrogatio. 158
Inventor. 31
Inversio. 129
Ironia.
à Relatis. 61
à Privantibus. ib.
à Contrario. 60
à Contradicentibus. 61
à Disparato. 59
quomodo percipitur. 62

L.

Litote. 143
Locatum pro Subjecto. 49
Locus pro incolis. 45
pro rebus in loco habitis vel gestis. ib.
Lux pro die. 33

M.

Magister *pro secta.* 32
Materia. 8
pro Composito. 18
Materiatum. 8, 17
pro materia. 17
Mediana Repetitio. 103
Medium. 28
Membrum pro corpore. 19
Merismus. 132
Meritum seu meritoria causa. 26
pro eo quod promeretur. 34
Mesarchia. 103
Mesophonia. 102
Mesoteleuton. 104
Metabasis. 165
Metalepsis. 72
Metaphora. 51
resolvitur per quasi. 52
Metastasis. 130
Metathesis. 116
Metonymia. 23
Materiæ. 31
Formæ. ib.
Efficientis. ib.
Effecti. 35
Finis. 38
Medii. 39
Subjecti. ib.
inhæsionis. 40
adhæsionis. ib.

loca-

locationis. 45
occupationis. 46
antecedentis. 44
continentis. 46
objecti. ib.
ſignati. 42
Adjuncti. 46
interni. 47
externi. ib.
Accidentis.
inhæſionis. ib.
adhæſionis. ib.
connexi. 49
conſequentis. ib.
contenti. 50
occupati. ib.
ſigni. 48
Mimeſis. 162
Miôsis. 68
Moralis Cauſa. 26
Myſteriſmus. 171

N.

Noema. 131
Nomen pro perſona. 48
Numero differre. 7
Numerus
major pro minore. 20
minor pro majore. 22
certus pro incerto.
majore. 23
minore. 21
infinitus pro magno. ib.
Pluralis pro Singulari. ib.
Singularis pro Plurali. 22
rotundus pro majore. ib.
minore. 21

O.

Objectum. 26, 46
pro re circa illud. ib.
Obſecratio. 163
Occaſio. 26, 27
pro re. 35
Occupatio. 122
Occupatum. 46
Opifex pro opere. 32
Oppoſita. 56
Oppoſitorum ſpecies. 57
Orationis ornamenta,
interna. 2
externa. 168
Oxymoron. 139

P.

Palilogia. 109
Parabole. 135
Paradiaſtole. 137
Paradigma. 134
Paradoxum. 150
Paragoge. 120
Paralipſis. 62, 144
Parecbaſis. 166
Parechesis. 114
Paregmenon. 112
Parens pro Liberis. 32
Paromœon. 112
Paromologia. 128
Paronomaſia. 111
Pars. 5
Eſſentialis. 8
pro parte eſſentiali. 19
Integralis. 10

Pæanismus. 159
Patronus pro Cliente. 44
Periergia. 110
Periphrasis. 151
Persona pro vestitu. 42
Pleonasmus. 88
Ploce. 108
Pluralis Numerus pro Singulari. 21
Polyptoton. 94
Polysyndeton. 88
Possessa res pro possessore. 48
Possessor pro re possessa. 42
Prædicari, quid. 6
Prætextus. 27
Privantia. 58
Probationum figuræ. 122
Productum pro producente 36
Prolepsis. 122
Pronunciatio. 168
Propositio. 124, 135
Prosapodosis. 123
Prosopopœia. 156
Prothesis, 120
Protasis. 135

R.

Reddition. 135
Regressio. 167
Rejectio. 165
Relata. 58
Remotio. 124
Repugnantia. 59
Res pro pretio. 36
Signata pro Signo. 41
circa objectum pro objecto. 50
contenta pro continente ib.
facta in tempore pro tempore. 41
in loco pro loco in quo res. 49
Reticentia. 155
Revocatio. 168
Rhetorica. 1
Rotundus numerus
pro majore. 22
pro minore. 21

S.

Sarcasmus. 159
Schema. 85
Seculum pro
personis. 47
rebus. ib.
Sententia. 130
Sermocinatio. 156
Signum 41
pro Signato. 48
Similia. 52
Similitudo. ib.
Singularis Numerus pro Plurali. 22
Species. 7
pro specie. 13
Specie differre, quid. 6
Subjectio. 124
Subjectum, 28
inhæsionis. ib.
pro adjuncto. 40
adhæsionis. 29
pro adjuncto. 40
locationis. 29

pro adjuncto. 45
occupationis. 29
pro adjuncto. 46
Subſtantia. 43
Suſtentatio. 151
Symbole. 136
Symploce. 99
Synæreſis. 89
Syncope. 120
Synchoreſis. 127
Synchyſis. 118
Synecdoche. 51
Generis pro Specie. 11
Individuo. 12
Formati pro forma. 17
Formæ pro formato. 19
Materiati pro materia. 17
Materiæ pro materiato. 18
Speciei pro Genere. 12
Individuo. 11
Totius---
Univerſalis. 10
Eſſentialis. 16
Integralis. 19
Corporis pro membro. ib.
Temporis longioris pro brevioris. 20
Numeri majoris pro minore. ib.
Pluralis pro Singulari. 21
rotundi pro minore. ib.
certi pro incerto, minore. ib.
infiniti, innumeri, pro magno. ib.
Partis
Univerſalis. 12
Eſſentialis. 18
Integralis. 21
Membri pro corpore. 22
Temporis brevioris pro longioris. ib.
Numeri
minoris pro majore. ib.
Singularis pro Plurali. ib.
rotundi pro majore. ib.
certi pro incerto, majore. 23
Synæciosis. 139
Synonymia. 109
Syrmus. 152

T.

Tapinosis 72
Tautotes. 105
Tempus pro rebus, perſonis, in tempore. 47
longius pro breviori. 20
brevius pro longiori. 22
Thaumaſmus. 163
Tmesis. 91
Totum, quid. 5
Eſſentiale. 8
Integrale. 9
Univerſale. 10
Transitio. 165
Tropus 2
differt à Figurâ. ib.
Troporum
Genera. 3
Methodus. 4
Numerus. ib.
Affectiones. ib.

V.

Violentum. 130
Virtutes pro bonis viris. 47
Vitia pro malis viris. ib.
Umbra Epanodi. 102

Voces
eædem. 92
similes. 111
simplices. 109
complexæ. 110
Votum. 164
Vox in pronunciatione, qualis. 168

There is lately Publiſhed by this Author a Book Entituled, *De Argumentorum Inventione Libri duo, quorum prior agit de Inventione Logicâ, alter de Inventione Rhetoricâ, in ſtudioſæ Juventutis tam Scholaſticæ quàm Academicæ Uſum conſcripti.*

Tropoſche-

Tropoſchematologiæ Rhetoricæ

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

De Rhetorica, ejuſque Ornamentis.

Quid eſt Rhetorica?

Rhetorica eſt Ars præcepta tradens de exornandâ oratione.

Docet Rhetorica exornare orationem, non omnibus omnino modis, ſed ſuis quibuſdam & ſibi propriis, nempe Tropis & Figuris, Pronunciatione & Actione.

Rhetorica (ſc. ars vel facultas) Ῥητορικὴ (ſc. τέχνη) dicitur à ῥέω *dico*, (voce *dicendi* κατ' ἐξοχὴν ſumptâ) ac ſi iſte ſolus ſit cenſendus *dicere*, qui Rhetoricè, hoc eſt ornatè, *dicat*.

Quotuplicia ſunt Orationis Ornamenta?

Orationis ornamenta duplicia ſunt, Interna ſcilicet, & Externa.

Quænam ſunt Interna Orationis Ornamenta?

Interna Orationis Ornamenta duo ſunt, Tropus nempe, & Schema, ſive Figura.

Ornari Orationem Græci putant, ſi verborum immutationibus utantur, quas appellant τρόπους; & ſententiarum orationiſque formis, quas vocant σχήματα. Cic. lib. clar. Orator.

N. *Differunt* Tropi *&* Schemata, *quod illis ſemper invertatur ſignificatio: Schemata autem ſive permanente, ſive mutatâ ſignificatione (nam tam tranſlatis, quàm propriis figuratur oratio) alio habitu induant orationem.* Voſſ. Inſtit. Orat. lib. 4. cap. 5.

CAPUT II.

De Tropo in Genere; deque Tropi Generibus & Affectionibus.

QUid eſt Tropus?

Tropus eſt ornata dictionis mutatio à ſignificatione ſuâ in alienam. Vel,

Tropus eſt Ornamentum Rhetoricum (ſive ornatus dicendi modus, quo dictio aliqua, à propriâ ſuâ ſignificatione mutata, ad aliud ſignificandum uſurpatur, quàm primò propriéque ſignificat.

Cùm quis, viſo in arenâ *humani pedis veſtigio*

gio, dicit ſe vidiſſe *pedem hominis*; non id tum ſignificat vox *pedis*, quod primò propriéque ſignificat: nam primò propriéque ſignificat illud *humani corporis membrum*, quo quis loco inſiſtit, vel loco movetur; at hîc ſignificat, non illud hominis *membrum*, ſed membri illius *ſignum* aliquod, nempe *veſtigium*.

Tropus Τρόπος derivatur à τέτροπα (præterito medio verbi τρέπω *verto*, ſive *muto*) quia in omni Tropo *mutatio* aliqua dictioni accedit; ut quæ ibi non ſuâ, ſed alienâ ſignificatione uſurpetur.

Quot in Tropo conſideranda veniunt?

In Tropo conſideranda veniunt Genera ejus & Affectiones.

Tropi Genera quot ſunt?

Tropi Genera ſunt quatuor: Synecdoche, Metonymia, Metaphora, & Ironia.

Vel res adeò arcto vinculo conjunguntur, ut unum ſit de alterius eſſentiâ, velut totum & Pars, quæ Synecdoche commutat: vel non quidem unum de alterius eſſentiâ eſt, ſed tamen cum eſſentiâ conjungitur, ſive quia alterum alterius cauſa eſt, ſive quòd unum alteri inſit, aut adſit, alterumve præcedat, aut ſequatur, quæ invertit Metonymia; vel ne quidem conjuncta ſunt cum eſſentiâ, ſed aut ſimilia tantùm, cujuſmodi commutat Metaphora; aut etiam oppoſita, quorum unum pro altero ponit Ironia. Et hinc oritur Tro-

porum Numerus & Methodus.

Obiter notandum posse unam eandemque dictionem diversâ ratione ad diversos vel Tropos vel etiam Troporum Genera referri. Ut, *Canities*, quæ est & *effectum* senectutis, & *signum* senectutis, potest pro *Senectute* poni, vel per Metonymiam Effecti, ut est quid à senectute *productum*, vel per Metonymiam Adjuncti, ut est senectutis *Signum*. Sic quia *anima* humana potest considerari vel ut hominis *Causa* Formalis, vel ut ejusdem *Pars* Essentialis, ergo cum pro *homine* ponitur; si considerelur ut *Causa*, refertur ad Metonymiam; si ut *Pars*, refertur ad Synecdochen.

Quot sunt Tropi Affectiones?

Tropi Affectiones quatuor sunt, Catachrésis, Hyperbole, Metalepsis, & Allegoria.

Troporum Affectiones sunt quidam quasi Troporum habitus, sive qualitates, quibus afficiuntur Tropi; secundum quas dicitur Tropus hoc vel illo modo affici: scilicet esse vel durior & injucundior; vel altior & gravior, humilior & levior; vel in uno verbo multiplex; vel in verbis pluribus unus.

Primò agendum de Tropi Generibus, deinde de Affectionibus.

CAPUT

CAPUT III.

De Synecdoche in Genere: deque Toto & Partibus.

Quid est Synecdoche?

Synecdoche est Tropus, quo res, quæ cum alterius essentiâ sic conjungitur, ut de ejus essentiâ fit, pro eâ re ponitur, cujus de essentiâ est.

Vel, Synecdoche est Tropus, quo ponitur nomen Totius ad significandum Partem, vel nomen Partis ad significandum Totum.

Dicitur Συνεκδοχὴ Synecdoche à *συνεκδέχομαι comprehendo*: quia hoc Tropo *comprehenditur* vel sub latiori vocabulo arctius, vel sub arctiori latius, sc. Pars sub Toto, vel Totum sub Parte.

Ad Tropi hujus naturam intelligendam, est aliquid de Toto & Partibus ex Logicorum præceptis petendum.

Quid est Totum?

Totum est, quod ex partibus constat.

N. *Cæterum in Toto non satis est, quòd partes sunt, nisi debito & modo & ordine inter se unitæ sint.*

Quid sunt Partes Totius?

Partes Totius sunt res illæ, ex quibus constituitur Totum.

Quotuplex in Rhetoricâ consideratur Totum?

Consideratur in Rhetoricâ triplex Totum; nempe *Universale*, *Essentiale*, & *Integrale*.

Quid est Totum Universale?

Totum *Universale* est Genus respectu Specierum, aut Species respectu Individuorum.

N. *Partes Generis sunt Species; Speciei Partes sunt Individua. Quia Genus dividitur in Species; & Species dividitur in Individua.* Animal *enim vel est rationale sive* homo, *vel irrationale sive* brutum. Homo *autem est vel* Petrus, *vel* Paulus, *&c.*

Quid est Genus?

Genus est vox naturam significans universalem, quæ de pluribus & Specie differentibus prædicari potest in quæstione quâ quæritur quid res sit.

Ut cum quæritur *quid sit homo?* vel *quid sit brutum?* respondetur, est *animal*. Unde liquet *Animal* esse *Genus* & *hominis* & *bruti*.

N. *Prædicari nihil aliud est quàm affirmari. Specie autem differre dicuntur, quæ differunt essentialiter, seu quæ essentiis distinguuntur sub eodem genere, ut* homo & brutum, *quæ* Genere *quidem conveniunt, sunt enim utráque* animalia, *sed* Specie *differunt, quòd non sit eadem hominis brutique essentia, sed diversa.*

Dicitur

Dicitur γένος *Genus* ab inusitato verbo γίνω (cujus in locum successit γίγνω *gigno*) quod à Genere ceu parente aliquo Species & Individua tanquam filii & nepotes gignantur.

Quid est Species?

Species est vox naturam significans universalem, quæ de pluribus & numero differentibus prædicari potest in quæstione quâ quæritur *quid* res sit.

Ut cum quæritur, *quid est Aristoteles?* vel *quid est Alexander?* respondetur, *Homo est.*

N. Numero differre *dicuntur, quæ cum ejusdem sint essentiæ, ut multa numerari possunt, ut* Individua ejusdem Speciei, *v. gr. Socrates, Plato, Aristoteles, Alexander, &c.*

Quid est Individuum?

Individuum est vox naturam significans singularem, quæ de uno tantùm suâpte naturâ prædicari apta est.

Ut Socrates; hic homo. Singularis enim Socratis (aut hujus hominis) natura, de nullo dici potest nisi de uno Socrate (aut hoc homine.)

N. Singularia *dicuntur* Individua, *quòd in plura ejusdem nominis, naturæ, & quantitatis dividi nequeant.* Alexander *enim dividi potest in corpus & animam; vel in caput, ventrem, pedes, cæteróque corporis artus: at dividi in plures*

Alexandros *non potest*. *Sic* Ternio *potest dividi in tres Unitates; at dividi non potest in tres Terniones. Denique* Sextarius vini *potest dividi in plures vini porticulas: at in plures vini Sextarios dividi non potest.*

Quid est Totum Essentiale?

Totum *Essentiale* est quod constat ex Materiâ & Formâ.

N. *Partes Totius Essentialis sunt Materia & Forma.*

Materia est, ex quâ res aliqua aut fit, aut constat.

Ut elementa sunt materia corporum mistorum; semen viventium; aurum aut argentum poculi; ferrum gladii; lignum scamni; triticum panis, &c.

Illud, quod ex Materiâ fit vel constat, dicitur *Materiatum* seu *Compositum.*

Forma est per quam res est id quod est.

Ut anima rationalis est forma hominis; anima sensitiva est forma animalis; anima vegetativa est forma viventis.

Cum dicitur *res esse id quod est per formam*, sensus est *constitui unumquodque in certâ aliquâ rerum Specie per Formam.* E. g. Homo est Totum Essentiale, respectu corporis & animæ ex quibus constat. Corpus est Materia, Anima Forma est. Per corpus homo aliquid est; sed per animam est id quod est, nempe *homo.*

Nam

Nam posito quòd corpus hominis aliâ cujusvis animalis formâ informetur; erit animal ignoti adhuc & Nominis & Speciei; at non erit Homo. Per Formam utique est quòd res sit id quod est.

Notandum porrò propriè dictas rerum Formas ferè esse nobis ignotas; quod autem cuiq; maximè essentiale est, posse id pro ejus Formâ accipi atque usurpari.

Quid est Totum Integrale?

Totum *Integrale*, est quod partem extra partem habet.

Hoc duplex est; *Continuum*, cujus partes communi termino copulantur; ut Linea, Superficies, Corpus, Tempus: & *Discretum*, cujus partes non copulantur communi termino; ut Numerus.

N. Habere partem extra partem, *est habere partes, non tantùm* essentiâ, *verùm etiam* situ, *aut saltem* ordine *differentes. Partes quidem Totius Essentialis sunt simul, seque mutuo penetrant & permeant, ut Materia & Forma. At Partes Totius Integralis non sunt simul; sed aut* situ & spatio *diversæ sunt, ut videre est in corpore humano, cujus partes, caput, venter, manus, pedes, diversæ & situ & spatio sunt, nec ulla earum aliam in se continet: aut saltem diversæ sunt* ordine, *ut videre est in Tempore & Numero. Temporis enim partes sunt Instantia; Numeri, Unitates. At nec in Tempore ulla*

duo Instantia sunt simul; nec in Numero ullæ duæ Unitates simul sunt. Sed tam in Tempore Instantia, quàm in Numero Unitates ordinem servant; unumque eorum semper ordine præcedit alterum; nec ab eorum aliquo uno continetur alterum. Continetur quidem in Quaternario numero Ternarius: at ista Unitas, quæ Ternario numero addita Quaternarium numerum constituit, nullam earum unitatum, ex quibus constitit numerus Ternarius, in se continet; nec suâ major est quantitate, quàm quælibet una ex illis tribus unitatibus. Nec dissimiliter se habet res in pluribus Temporis Instantibus.

Quotuplex est Synecdoche?

Synecdoche sextuplex est; scilicet Totius Universalis, & Partis ejus; Totius Essentialis, & Partis ejus; Totius Integralis & Partis ejus.

CAPUT IV.

De Synecdoche Totius Universalis, & Partis ejus; seu de Synecdoche, Generis, Speciei, & Individui.

Quid est Synecdoche Totius Universalis?

Synecdoche *Totius Universalis* est Tropus, quo nomen Totius Universalis ponitur ad signi-

ſignificandum aliquam ejus partem.

Hæc Synecdoche duplex eſt; Generis pro Specie; & Speciei pro Individuo.

Quid eſt Synecdoche Generis *pro Specie?*

Synecdoche Generis pro Specie eſt Tropus, quo ex nomine Generis ſignificatur Species. Vel—

—quo nomen Generis uſurpatur ad ſignificandum Speciem.

Ut cum *Virgilius* poſuit *alitem* pro *aquilâ*, & *quadrupedem* pro *equo*. Sic cum *Creatura*, vel *mortalis* ponitur pro *homine*. Sic cum ponitur à Græcis ὄρνις (avis) pro gallinâ; à Latinis *olus* pro *braſſicâ*; ab utriſque ἀφροσύνη, *ſtultitia* pro ſtupro. Item cum *facere* ponitur pro *ſacrificare*; ut apud Virg. Ecl. 3. *Cum faciam vitulâ*--- & Juven. 9. Sat. *Pro populo faciens*--- ſaufeia.

Quid eſt Synecdoche Speciei *pro Individuo?*

Synecdoche Speciei pro Individuo eſt Tropus, quo ex nomine Speciei ſignificatur Individuum. Vel—

—quo nomen Speciei uſurpatur ad ſignificandum Individuum.

Ut cum *Cicero* dixit, *ſine dubio perdidimus hominem*, intelligens *Catilinam*. Sic ponitur *Poeta* pro *Homero*, aut *Virgilio*; *Orator* pro *Demoſthene* aut *Cicerone*. Et ſic ponitur *Urbs* pro *Trojâ*, vel *Româ*, vel qualibet aliâ ſingulari civitate.

N *Sicubi*

N. *Sicubi ponatur* Genus pro Individuo, *fit hoc per* Metalepſin (*de quâ poſtea*, Cap. 19.) *Primò enim Genus ponitur pro Specie; tum verò Species ponitur pro Individuo; per duplicem ſcilicet Synecdochen; viz. Generis pro Specie, & Speciei pro Individuo. Niſi malis (cum aliis) utrumque hunc Tropum ſub uno, ſcil. Synecdoche Generis, comprehendere*; Generis *videlicet nomine intelligens quicquid eſt* generalius.

Quid eſt Synecdoche Partis *Totius Univerſalis?*

Synecdoche Partis Totius Univerſalis eſt Tropus, quo aliqua Totius Univerſalis pars pro Toto Univerſali ponitur.

Hæc Synecdoche Duplex eſt; *Speciei* pro Genere, & *Individui* pro Specie.

Quid eſt Synecdoche Speciei pro Genere?

Synecdoche *Speciei pro Genere* eſt Tropus, quo ex nomine Speciei ſignificatur Genus; Vel—

—quo nomen Speciei uſurpatur ad ſignificandum Genus.

Ut cum in oratione Dominicâ, per *panem*, quæ una eſt ciborum humanorum ſpecies, intelligendum eſt *omne illud*, quo ſuſtentari paſcive ſolet humana natura. Et quando *Cicero Catilinam* vocavit *parricidam civium*, cum intelligeret eum eſſe eorum *interfectorem*. Quippe Interfectorum ſpecies eſt Parricida.

Omnis

Omnis enim Parricida eſt Interfector: non omnis interfector parricida. Sic cum *Virgilius Chaoniam glandem* poſuit pro quâvis glande; & *pocula Acheloïa* pro cujuſvis aquæ poculis.

Quid eſt Synecdoche Individui pro Specie?

Synecdoche Individui pro Specie eſt Tropus, quo ex nomine Individui ſignificatur Species. Vel—

—quo nomen Individui uſurpatur ad ſignificandum Speciem.

Ut cum ponitur *Irus* pro paupere; *Cræſus* pro divite; *Ariſtides* pro juſto; *Mæcenas* pro patrono. Sic cum ponitur *Mare Myrtoum* vel *Carpathium* pro quovis mari; *Eurus* vel *Aquilo* pro quovis vento, *Sardinia* pro loco inſalubri; *Adria* pro mari tempetuoſo; *Venuſinæ Sylvæ* pro quibuſvis ſylvis.

N. *Quum ponitur* Individuum pro Genere, *fit hoc per Metalepſin. Primò enim Individuum ponitur pro Specie, tum verò Species ponitur pro Genere; per duplicem ſcil. Synedochen, Individui pro Specie, & Speciei pro Genere. Niſi malis Synecdochen Individui (id quod faciunt alii) comprehendere ſub Synecdoche Speciei: quaſi ſub* Speciei *nomine intelligatur quicquid eſt* ſpecialius.

Sicubi etiam ponitur *ſpecies pro ſpecie*, fit hoc quoque per Metalepſin; poſitâ ſcilicet primò ſpecie una pro genere; tum poſito genere

nere pro ſpecie alterâ. Sic cum *ærea* vocantur *arma*, (ut ſæpè apud *Homerum*) quæ verè *ferrea* ſunt, primò *æs* ponitur pro *metallo*, per Synecdochen ſpeciei pro genere; tum *Metallum* ponitur pro *ferro*, per Synecdochen generispro ſpecie.

Deniq; ſiquando ponitur *Individuum unum pro alio*, fit hoc vel per Metaphoram, propter aliquam utriuſq; ſimilitudinem; vel per Ironiam, propter aliquam inter utrumque oppoſitionem.

Appendix de Antonomaſiâ.

Duos Tropos ſcilicet Synecdochen ſpeciei pro individuo, & individui pro ſpecie, quidam ſub *Antonomaſiæ* tradunt. Libet itaque Lectoris gratiâ ad hujus conſiderationem parumper excurrere.

Quid eſt Antonomaſia?

Antonomaſia eſt tranſmutatio communis nominis pro proprio, & proprii nominis pro communi.

Hujus itaq; duo ſunt genera: *alterum* quo *commune* ſumitur *pro proprio*, quodque eſt idem cum Synecdoche ſpeciei pro individuo; *alterum* quo *proprium* ſumitur pro *communi* quodque idem eſt cum Synecdoche individui pro ſpecie.

Ad prius Antonomiſiæ genus referunt, quando pro *Nomine Proprio* ponitur.

Primò,

Primò, *Nomen Patronymicum.* Ut *Saturnius* pro *Jove*; *Priamides* pro *Hectore*; *Atrides* pro *Agamemnone* vel *Menelao*; *Tydides* pro *Diomede*; *Pelides* pro *Achille*; *Anchisiades* pro *Æneâ*, &c.

Secundò, *Nomen Gentile*; Ut *Cytherea* pro *Venere*; *Arpinas* pro *Cicerone*; *Pœnus* pro *Hannibale*.

Tertiò, *Epitheton Appellativum*; Ut *Omnipotens* pro *Jove*; *Impius* pro *Æneâ*. Ut Virg. Æn. 4. *Thalamo quæ fixa reliquit Impius*, i. e. Æneas, scil. ex mente dicentis.

Quartò, Nomen studii, artis, officii, dignitatis. Ut *Philosophus* pro *Aristotele*; *Orator* pro *Demosthene* vel *Cicerone*; *Poeta* pro *Homero* aut *Virgilio*; *Apostolus* pro *Paulo*; *Prætor*, *Consul*, *Episcopus*, *Doctor*, &c. pro singularibus hominibus in aliquo horum vel honorum vel officiorum constitutis.

Quintò, *Periphrasis non reciproca*; Ut *Trojani belli Scriptor* pro *Homero*.

Ad posterius Antonomasiæ genus referunt, quando pro *Communi seu Appellativo Nomine* ponitur. Vel,

Primò, *Proprium personæ Nomen.* Ut *Cato* pro *Sapiente*; *Virgilius* pro *Poeta*; *Tullius* pro *Oratore*; *Mecænas* pro *Patrono*; *Aristides* pro *Justo*; *Prometheus* pro *Figulo*; *Tiresias* pro *Cæco*; *Achilles* pro *forti*; *Nestor* pro *diserto*; *Ulysses* pro *vafro*; *Thersites* pro *deformi*;

formi; *Sardanapalus* pro *molli*; *Nero* pro *crudeli*; *Venus* pro *amicâ*; *Lucretia* pro *pudicâ*, &c.

Secundò, *Proprium Gentis*, *Nationis*, vel *Loci Epitheton*. Ut cum ponitur *Muſa Attica*, pro quovis Athenis nato eloquentiâ præcellente; *Maſſicum Vinum* pro quovis alio nobiliore vino; *Sus Sabellicus*, *Aper Caledonius*, *Leo Numidicus* pro quovis ſue, apro, leone. Item cum *Pœnus* ponitur pro perfido, vel *Cretenſis* pro mendace. Licet in hoc loquendi modo ſit etiam Metaphora; cum ideò dicatur aliquis eſſe *Pœnus*, vel *Cretenſis*, qui non eſt de alterutrâ gente oriundus, quòd morum ſimilitudine aliquâ, ſcil. perfidiâ, vel mendacitate *Pœnos* vel *Cretenſes* referat.

Dicitur Ἀντονομασία Antonomaſia, ab ἀντὶ *pro*, & ὀνομάζω *nomino*: quia Antonomaſia ejuſmodi eſt dicendi modus in quo *nomen aliud ponitur pro alio*, & diſertim *commune pro proprio*, vel *proprium pro communi*.

CAPUT V.

De Synecdoche Totius Eſſentialis & Partis ejus.

Quid eſt Synecdoche Totius Eſſentialis? *Synecdoche Totius Eſſentialis* eſt Tropus, quo

quo nomen Totius Essentialis ponitur ad significandum alterutram illius partem; sive —quo nomen *Compositi* ponitur ad significandum vel *Materiam* vel *Formam*.

Aliquando *Compositum* ponitur pro *Materiâ*.

Ut cum dixit *Maria*, *Sustulerunt Dominum meum*, quando intelligeret tantummodo Domini sui, scil. Jesu Christi *Corpus* esse sublatum. Sic dixit *Virg. Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros*. Cum tamen intelligeret tantummodo exanimum Hectoris corpus esse raptatum. *Juven.* 10. *Sat. Plenæ sororibus urnæ*, i. e. sororum cineribus, & ossibus.

Hoc cum fit, dici potest hic Tropus *Synecdoche materiati* pro materiâ.

Aliquando *Compositum* ponitur pro *Formâ*.

Ut cum (*Luc.* 16. *v.* 23.) dicitur *Dives* vidisse *Abrahamum* procul, & *Lazarum* in sinu ejus, voces illæ dives, *Abrahamus*, *Lazarus* solùm significant hominum istorum animas.

Hoc cum fit, dici potest hic Tropus *Synecdoche Formati* pro *Formâ*.

N. Materiatum & Formatum *nihil aliud sunt quàm ipsum Compositum*, *quod diverso respectu diversis sortitur appellationes*, & *respectu materiæ*, *unde componitur*, *dicitur* Materiatum, *respectu Formæ* Formatum.

Quid eſt Synecdoche Partis Eſſentialis?

Synecdoche Partis Eſſentialis eſt Tropus quo nomen partis eſſentialis ponitur ad ſignificandum totum eſſentiale. Sive—

—quo nomen vel *Materiæ* vel *Formæ* ponitur ad ſignificandum totum *Compoſitum.*

Aliquando nomen *Materiæ* ponitur ad ſignificandum totum *Compoſitum.*

Ut cum ponitur *ferrum* pro *gladio*, vel quibuſcunque aliis armis ferreis; *æs*, *argentum*, *aurum* pro æreis, argenteis, aureiſve nummis, vel vaſis inde conflatis; *pinus*, *abies*, *robur* pro navibus ex pinu, abiete, vel robore compactis. Item cum ponunt Græci σώματα pro hominibus, præcipuè ſervis. Hinc illud *Demoſthenis*, σώμασι καὶ χρήμασι καλῶς παρεσκευασμένοι hominibus & nummis benè inſtructi. Sic apud nos dicitur, *any body*, *every body*, *no body*, pro *any*, *every*, *no man.*

Hoc cum fit, dici poteſt hic Tropus Synecdoche *Materiæ* pro *Materiato.*

Aliquando nomen *Formæ* ponitur ad ſignificandum totum *Compoſitum.*

Ut cum dixit Apoſtolus, *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, intelligendus eſt *omnis homo.* Sic dixit *Cicero*, *Vos meæ chariſſimæ animæ ſæpiſſimè ad me ſcribite*, i. e. Vos chariſſimi mihi homines. Sic dixit *Virg. Animâ litandum Argolicâ*, pro homine Argolico.

Hoc

Hoc cum fit, dici poteſt hic Tropus *Synecdoche Formæ* pro *Formato*.

Aliquando *pars altera* eſſentialis ponitur pro *alterâ*, nempe *anima* pro *corpore* (qui loquendi modus eſt *Hebræis* uſitatus) hoc autem fit per *Metalepſin*, de quâ poſtea, *Cap.* 19.

CAPUT VI.

De Synecdoche Totius Integralis, & Partis ejus.

QVid eſt Synecdoche Totius Integralis?

Synecdoche *Totius Integralis* eſt Tropus, quo ex nomine Totius Integralis ſignificatur aliqua ejus pars, ſeu membrum.

Hæc Synecdoche triplex eſt, viz. *Corporis*, *Temporis*, *Numeri*.

Primò, *Corporis*; cum totum corpus ponitur pro aliquo ejus membro vel parte.

Ut cum ponitur *Elephantus* pro ebore, hoc eſt, Elephanti dente ſeu cornu. Item cum dicitur *fontem ferebant*, pro parte fontis; vel cum *Bibere Xanthum*, *Ararim*, *Tigrim* dicitur pro *bibere partem aquæ fluviorum iſtorum*. Item cum *ultimâ plateâ vel urbe* dicitur pro ultimâ plateæ vel urbis parte; ut & *extremâ paginâ* pro extremæ paginæ parte; *medius homo*, vel *mulier* pro mediâ hominis, vel mulieris parte.

Aut cum ponitur *Orbis terrarum* pro Imperio Romano.

Huc referri fortaſſe poteſt, quando id quod totius eſt, in Epitheto aliquo, ſeu Adjectivo nomine attribuitur parti. Ut cum dixit *Plautus*, *Ego tibi iſtam ſceleſtam, ſcelus, linguam abſcindam.* Amph. 1. 1. Item *Ovid. Met.* 13. *In me ſtolidæ convitia fundere linguæ.* Ubi *ſceleſtam linguam*; & *ſtolidæ linguæ* poſita ſunt pro *linguâ ſceleſti* & *ſtolidi hominis*; attributis ſcilicet *ſcelere* & *ſtoliditate*, quæ ſunt propria *hominis*, uni hominis, parti nempe *linguæ.* Sic dicitur *manus fallax* & *incontinens*, pro manu *fallacis* & *incontinentis.*

Secundò, *Temporis longioris*; cum longius aliquod tempus ponitur pro breviori.

Ut (apud *Terent.*) *Annus eſt dum comuntur*; i. e. tempus longiuſculum. Sic (*Matth.* 12. 40.) ponuntur *tres dies*, & *tres noctes*, hoc eſt, triduum, pro tridui parte, uno ſcilicet integro die & parte duorum.

Huc refertur cum *Æternum* ponitur pro *diuturno.* Ut, *Spero æternam inter nos gratiam fore*, i. e. diuturnam, vel duraturam quandiu ſuperſtites erimus. *Serviet æternùm*, i. e. quamdiu vivet.

Hæc Synecdoche frequens occurrit in ſacris Scripturis.

Tertiò, *Numeri majoris*; cum major aliquis numerus ponitur pro minore. Scilicet----

—Vel

—Vel (primò) *Pluralis* pro *Singulari*.

Ut, *Nos populo imposuimus*, pro ego imposui populo. Sic dicitur (*Matth.* 27. 44.) *Latrones improperabant* ei, i. e. alter latronum, *Luc.* 23. 39. Sic ponunt Poeta *Ora* pro *os*, *Colla* pro *collum*;

—Vel (secundò) *Rotundus pro Minore*.

Ut si dicas, *Reges imperârunt Romæ annis ducentis quinquaginta*, cum tantùm ducentos quadraginta quatuor imperârint. Sic *Cicero* posuit *quadraginta annos*, pro *triginta sex*: D. Paulus (1 *Cor.* 15. 5.) *Duodecim* posuit *Apostolos* pro *undecim*.

Huc refertur cum *Certus Numerus* pro *incerto*, sed *minore* ponitur.

Ut (apud *Terent.*) *Millies audivi*, i. e. persæpe. Sic (apud *Ciceron.*) *Sexcenta licet ejusmodi proferre*, i. e. permulta.

—Vel (tertiò) *Infinitus* vel *Innumerus* pro *Magno*.

Ut si dicas, *Præter eos, qui in acie ceciderunt, infinitus porrò hostium numerus se fugæ dedit*. Sic dixit *Cic. Cujus ex ludo, tanquam ex equo Trojano innumeri* (i. e. permulti) *Principes exierunt*. Sic *Appul. Innumerabilia* (i. e. permulta) *piscium genera enumerat*.

Quid est Synecdoche Partis Integralis?

Synecdoche *Partis Integralis* est Tropus, quo ex nomine Partis Integralis Totum Integrale intelligitur.

Hæc etiam Synecdoche triplex est, scil. *Membri*, *Temporis*, *Numeri*.

Primò, *Membri*; cum corporis alicujus membrum, vel pars pro toto corpore ponitur.

Ut cum ponitur *Caput* pro homine; *os* pro facie; *ungula* pro equo; *tectum* pro domo; *mucro* pro gladio; *carina* vel *puppis* pro nave; *convexum*, *axis*, vel *polus* pro cœlo; *Achaia* pro Græciâ; *apex* pro pileo; *umbo* pro togâ (ut apud *Pers. Sat.* 5.) vel cum ponitur *Dux* pro exercitu.

Secundò, *Temporis brevioris*; cum brevius aliquod tempus pro longiori ponitur.

Ut cum ponitur *bruma* pro hyeme; *ver*, *æstas*, *autumnus*, vel *hyems* pro anno. Sic dixit *Horat.* (c. l. 1. Od. 11.) *seu plures hyemes* (i. e. annos) *seu tribuit Jupiter ultimam.* Et ib. Od. 15. *Post certas hyemes uret Achaïcus ignis Iliacus domos.*

Tertiò, *Numeri minoris*; cum minor aliquis numerus ponitur pro majore; scilicet

—vel (primò) *Singularis pro Plurali.*

Ut cum dicitur, *Hostis habet muros*, pro hostes habent; *Romanus prælio victor*, pro Romani; *Miles pro militibus*; piscis pro piscibus; Rana pro ranis.

—vel (secundò) *Rotundus pro majore.*

Ut cum *mille carinæ*, & *mille puppes* dicuntur (apud *Virg.* & *Ovid.*) pro *mille centum & octoginta*

octoginta sex. Sic cum eos vocamus *Septuaginta Interpretes*, qui erant *duo & septuaginta.* Ut apud Romanos dicti sunt *Centum viri*, qui erant *centum & quinque.*

Huc refertur cum *Certus Numerus* pro *incerto*, sed *majore* ponitur.

Ut cum (apud *Horat.*) *Tergeminis tollere honoribus*, ponitur pro *plurimis.* Sic *Virg. Terq; quaterque beatos* dixit, pro sæpius, seu multum beatos. *Apocal.* 5. 11. *Millies centena millia, & decies centena millia* significant numerum penè infinitum.

CAPUT VII.

De Metonymia in genere.

Quid est Metonymia?

Metonymia est Tropus quo res, quæ cum alterius essentiâ sic conjungitur, ut ejus de essentiâ non sit pro eâ re ponitur, cujus cum essentiâ conjungitur.

Vel— quo ex nomine Causæ intelligitur Causatum, & ex nomine Subjecti intelligitur Adjunctum, & viceversâ.

Μετωνυμία Metonymia dicitur à μετὰ, significante in compositione *mutationem*, & ὄνομα *nomen*, ut sit nominum commutatio: hoc enim Tropo commutant inter se nomina res

ſibi invicem relatæ tanquam Cauſa & Effectum, & tanquam Subjectum & Adjunctum, ita ut alterius rei nomine res altera intelligatur.

Ad hunc etiam Tropum intelligendum ſunt quædam ex Logicis petenda de naturâ Cauſæ & Cauſati, Subjecti & Adjuncti.

Quid eſt Cauſa?

Cauſa eſt id, cujus vi res aliqua eſt.

Quid eſt Cauſatum?

Cauſatum eſt id, quod à cauſis ſuis conſtituitur. Sive— quod vi cauſæ eſt.

Quot ſunt Cauſarum genera?

Cauſarum genera quatuor ſunt, Materia, Forma, Efficiens, & Finis.

Hunc Cauſarum numerum ſic colligunt. Cum nihil fiat à ſeipſo, ſed quicquid fit ab alio fiat, datur cujuſque rei factæ cauſa efficiens. Tum quia nulla res finita poteſt aliquid ex nihilo producere, ergo in rerum generatione danda eſt materia, ex quâ res fiant, ut ſint aliquid, & forma in materiam introducenda, per quam res ſint id, quod futuræ ſunt. Denique cum nihil agat temerè, ergo datur finis, cujus gratia efficiens operatur.

Duæ priores, nempe Materia & Forma, rei, cujus cauſæ ſunt, eſſentiam ingrediuntur, tanquam conſtituentes illius partes. Unde hujus loci propriè non ſunt: adeóque nihil hîc dicimus de Metonymiâ, vel Materiæ, vel Formæ.

mæ. Tamen earum commutationem cum Compoſito, magis accommodatè ad puerilem captum ſub Synecdoche Partis Eſſentialis tractamus. Vide *Cap.* 5.

At duæ poſteriores, nempe Efficiens & Finis, hujus loci ſunt, & hîc tractandæ erunt.

Quid eſt Efficiens?

Efficiens eſt Cauſa externa à quâ res eſt.

Vel— quâ res actione verâ producitur.

Ut pater eſt Efficiens filii, quem generat; architectus eſt efficiens domus, quam ædificat; ignis eſt efficiens caloris, quem producit.

Efficiens influit in Effectum per actionem verè cauſantem, quâ ratione à fine diſtinguitur. Nam res etiam à fine proficiſcitur, at non cauſalitate verâ, ſed tantùm Metaphoricâ.

Dicitur autem Efficiens *Cauſa Externa*, quia extrinſecè producit aliud, cujus ipſa non eſt pars. Ut pater non eſt pars filii; nec eſt architectus pars domûs; nec eſt ignis in foco pars caloris illius quem producit in aſſidentibus.

Quotuplex eſt Efficiens?

Efficiens duplex eſt; Principalis & Minus principalis.

Quænam eſt Efficiens principalis?

Cauſa *Efficiens principalis* eſt, quæ ſuâ virtute Effectum producit.

Quænam eſt Efficiens minus principalis?

Cauſa *Efficiens minus principalis* eſt, quæ cauſæ

cauſæ principali in producendo effecto ſubſervit.

Hæc vel eſt *Proegumena*, vel *Procatarctica*, vel *Inſtrumentum*.

Proegumena eſt, quæ principalem cauſam intus vel *diſponit*, vel etiam *proritat* ad agendum.

N. *Proegumena aliquando ſolummodo* diſponit; *ut cum temperamentum dicitur cauſa morum*; *aliquando etiam* proritat; *ut cum ira eſt cauſa cædis, avaritia furti, ſuperbia luxûs.*

Procatarctica eſt, quæ principalem cauſam extrinſecus incitat ad agendum.

Ad hanc cauſam reducitur

Primò, *Objectum*, ſcil. quatenus *excitat*, aut *movet* cauſam principalem.

Secundò, *Occaſio*, ſeu loci temporiſq; commoditas ad agendum quæ velis, quatenus ea habet vim aliquam movendi ad agendum, & impedimenta tollit.

Tertiò, *Cauſa moralis*, h. e. *Autor*, ſive is qui cauſam principalem ad agendum aliquid hortatur, rogat, conſulit, perſuadet, minis inſtigat, non impedit cùm debet & poteſt, & quoquo modo ſic ſe gerit ut effectus ei imputetur.

N. *Author, h. e. Scriptor libri, eſt operis ſui Efficiens Principalis.*

Quartò, *Cauſa meritoria*, ſeu *Meritum*, quo movetur agens ad talionem referendam, idq; tam

tam in bonis quàm in malis, tam in conferendo præmium, quàm in inferendo pœnam.

N. *Pro causâ meritoriâ interdum ſumitur occaſio, veluti cum injuria illata dicitur occaſio pugnæ, aut belli, aut cædis: quæ ſi ficta eſt, dicitur* prætextus.

Inſtrumentum eſt, quod cauſæ principali in effectione ſubſervit, & iſtius virtute agit.

Harum omnium cauſarum ſit hoc exemplum. Dum *Sempronius* veſpertino tempore unà cum *Pomponio* in nemore ambulat occurrit ei *Titius* uxoris mœchus: hunc ſuadente *Pomponio*, *Sempronius* gladio occidit. Hujus cædis cauſa *Principalis* eſt *Sempronius*, *Proegumena* eſt illius zelotypia; *Procatarcticæ* ſunt *Objectum*, *Titius* mœchus; *Occaſio*, *Titii* mœchi in iſtum locum, & eo tempore adventus; *Cauſa moralis*, *Pomponius* ſuaſor; *Cauſa meritoria*, *Titii* adulterium cum uxore *Sempronii*: denique *Inſtrumentum* eſt gladius.

Quid eſt Effectum?

Effectum eſt id, quod ab Efficiente fit; vel quod ab efficiente causâ, actione verâ producitur.

E. g. Poema eſt Effectum Poetæ, qui illud compoſuit; domus Architecti, qui illam ædificavit; mundus Dei, qui illum creavit; filius Patris, qui illum generavit.

N. *Effectum eſt vel* Actio, *vel* Res *actione producta. Eſt autem Actio, reſpectu Agentis, Effectum; & reſpectu Rei actione productæ, Efficiens.*

Quid

Quid eſt Finis?

Finis eſt cauſa propter quam res eſt; vel Finis eſt cauſa externa, cujus gratiâ res eſt, vel fit; hoc eſt cujus amore efficiens incitatur ad agendum.

Ut eruditio eſt finis ſtudiorum, quia eruditionis amore impellitur ſtudioſus ad ſtudendum.

N. *Dicitur autem Finis cauſa externa, quòd non ſit pars effecti illius ad quod producendum amore ſui efficientem incitat.*

Quid eſt Medium?

Medium ſeu Deſtinatum eſt id, quod ad finem conſequendum deſtinatur, & cujus ope efficiens finem conſequitur.

Ut Meditatio eſt eruditionis medium, quia deſtinat ſtudioſus meditari in ordine ad eruditionem conſequendam, & meditando conſequitur ut ſit eruditus.

Quid eſt Subjectum?

Subjectum eſt quod alicui ſubjicitur; vel cui aliquid præter ipſius eſſentiam adjungitur.

Quotuplex eſt Subjectum?

Subjectum quadruplex eſt, *inhæſionis*, *adhæſionis*, *locationis*, & *occupationis*.

N. *Hæc quadripartita ſubjecti diviſio facta eſt, non fortè ad mentem Philoſophorum, at certè ad captum puerorum.*

Quid eſt ſubjectum inhæſionis?

Subjectum inhæſionis eſt, cui adjunctum inhæret,

hæret, ſive quod adjunctum in ſe recipit.

Sic *anima* eſt ſubjectum potentiarum, artium, virtutum, vitiorum; *corpus*, ſtaturæ, pulchritudinis, deformitatis, roboris, infirmitatis, ſanitatis, morborum; *Sol* lucis, caloris, virtutis; & quælibet ſubſtantiæ eſt ſubjectum ſuæ formæ accidentalis, ſeu accidentis ei inhærentis.

Quid eſt ſubjectum adhæſionis?

Subjectum adhæſionis eſt, cui adjunctum extrinſecus accidit, vel adhæret; ſeu quod adjunctum ad ſe recipit.

Sic *homo* eſt ſubjectum veſtium, armorum, divitiarum, poſſeſſionum; & *res* temporis, circumſtantiarum, antecedentium, conſequentium, conjunctorum ſive concomitantium, item ſignificantium.

Quid eſt ſubjectum locationis?

Subjectum locationis eſt, intra quod adjunctum locatur, ſeu quod adjunctum intra ſe continet. Sic *terra* eſt ſubjectum hominum, beſtiarum; *mare* piſcium, navium; *aer* avium, volucrium, nubium; *cælum* ſtellarum, cœlitum; *patria* hominum ibi natorum, vel degentium; *urbs* civium; *ſenaculum* ſenatûs, conſultationis; *templum* rerum divinarum, utenſilium ſacrorum; *forum* mercaturæ; *poculum* vini.

Quid eſt ſubjectum occupationis?

Subjectum occupationis eſt, circa quod adjunctum

ctum occupatur; ſeu quod adjunctum circa ſe occupat; nihilque eſt aliud quàm *Objectum* vel Materia circa quam.

Sic *color* eſt ſubjectum vel objectum visûs, *vox* auditûs; *verum* intellectûs; *bonum* voluntatis, amoris; *malum* odii, metûs; item *ratio* eſt ſubjectum vel objectum Dialecticæ & Dialectici; *Oratio* Grammaticæ & Grammatici; *Morbus* Medicinæ & Medici; item *labor* eſt ſubjectum vel objectum fortitudinis & ignaviæ; *pecunia* liberalitatis & avaritiæ; *voluptas* temperantiæ & intemperantiæ; denique *res cogitata*, *dicta*, *ſcripta* eſt ſubjectum, ſive objectum cogitationis & cogitantis, dictionis & dicentis, ſcripturæ & ſcribentis.

Quid eſt Adjunctum?

Adjunctum eſt, cui aliquid ſubjicitur; vel quod alicui præter ipſius eſſentiam adjungitur.

Quotuplex eſt Adjunctum?

Adjunctum quadruplex; primò, *inhæſionis*, quod ſubjecto inhæret; ſecundò, *adhæſionis*, quod ſubjecto adhæret; tertiò, *locationis*, quod intra ſubjectum locatur; quartò, *occupationis*, quod circa ſubjectum occupatur, diciturque *Occupatum*.

N *Horum omnium exempla jam ſuprà dicta ſunt.*

Quotuplex eſt Metonymia?

Metonymia ſextuplex eſt, Efficientis & Effecti; Finis & Medii; Subjecti & Adjuncti.

N. *Vulgò*

N. *Vulgò dictam* Metonymiam Materiæ & Formæ *tractavimus ſub* Synecdoche Partis Eſſentialis, *ſeu* Materiæ & Formæ; *ſi non magis (ut ſpero) rectè, ſaltem ad puerorum captum magis accommodatè; quippe quibus eſt facilius concipere Materiam & Formam ſub ratione partium conſtituentium, quàm ſub ratione rerum cauſantium. Qui aliter ſenſerit, poteſt adhuc retinere nomina* Metonymiæ Materiæ, & Met. Formæ.

CHAP. VIII.

De Metonymia Efficientis.

Quid eſt Metonymia Efficientis?

Metonymia Efficientis eſt Tropus, quo ex nomine Efficientis intelligitur Effectum; ſive quo nomen Efficientis uſurpatur ad ſignificandum Effectum.

Ut *primò*, Cum *Deus* nominatur pro divino aliquo opere, dono vel inſpiratione.

Hinc *Lucan.* l. 9. *Ille Deo plenus*, i. e. divino numine vel ſapientiâ. Id. *l.* 1. *Plenus Lyæo*, i. e. *Baccho*, pro *Plenus Bacchi furore*. Sic Actor. 11. 24. *Plenus Spiritu Sancto* dicitur pro plenus Spiritûs Sancti donis.

Secundò, Cum nomen *Ejus*, qui rem aliquam ejuſve uſum *invenit*, *curat*, vel *procurat*, tur pro re ipsâ, vel pro uſu rei, quam invenit, curat, procuratve.

Hinc ponitur *Mars* pro prælio; *Bacchus* pro

pro vino; *Ceres* pro pane, *Lucina* pro partu; *Minerva* pro lanificio aliiſve artibus; *Venus* pro amore vel libidine.

Huc refertur cum nomen *Datoris* vel *Venditoris* ponitur pro re àb ipſo datâ vel venditâ.

Tertiò, Cum nomen *Parentis* ponitur pro *Liberis* vel poſteris.

Hinc *Iſrael* ponitur pro *Iſraelitis*; *Benjamin*, vel alius Patriarcharum pro tribu ejus. Vide *Iſaiæ*, *cap. 9. v.* 21.

Huc refertur cum *Animal* ponitur pro pullis ſuis; ut *Arbor* pro foliis, floribus, vel fructibus ſuis.

Quartò, Cum ponitur *Magiſter* pro Sectâ, doctrinâ, vel diſciplinâ ſuâ.

Ut ſi dicatur, *Regnat in Scholis Ariſtoteles*; *Primas obtinet Plato*; *Contendit cum Arminio Calvinus*; *cum Papâ Lutherus*; i. e. Philoſophia Ariſtotelica; Sectatores Platonis, &c.

Huc refertur cum *Legiſlator* ponitur pro Lege, præmio vel pœnâ ab ipſo conſtitutâ.

Quintò, Cum *Author* dicti, ſcriptive, ponitur pro ſuo aliquo dicto vel ſcripto.

Hinc *Livius* nominatur pro Hiſtoriâ *Livii*; *Homerus* vel *Virgilius* pro poematis ſuis: Sic *Luc.* 16. 29. *Habent* (inquit *Abrahamus* diviti) *Moyſen* & *Prophetas*, i. e. ſcripta Moſaïca & Prophetica.

Sextò, Cum ponitur *Opifex* pro opere ſuo. Ut apud *Juven. Sat. Raræ ſine Mentore menſæ*, i. e.

i. e. sine poculo vel vasculo à Mentore cælato.

Huc refertur cum *Paterfamiliâs* ponitur pro ædificiis, hortis, pomariis, ambulacris, vivariis à se confectis; vel *Animal* pro latibulis, nidisve à se conditis & compositis.

Septimò, Cum ponitur *Terra* pro plantis, arboribus, animalibus è se productis.

Ut *Isai.* 40. 6. *Libanus non sufficiet ad succendendum*, i. e. ligna Libani non sufficient.

Octavò, Cum ponitur *Sol*, *Luna*, vel *Stella* pro calore, lumine, anno, mense, die, vel quovis effectu suo.

Ut apud *Virg.* 1. *Georg.* *Illa seges bis solem sensit*, i. e. solis calorem. Ibid. *Glebasque jacentes pulverulenta coquat maturis solibus æstas*; i. e. fervidis caloribus. Sic *Martial. l.* 5. *Ep.* 21. Bonosque soles effugere atque abire sentit, i. e. dies.

Nonò, Cum ponitur *Lux* pro die.

Ut apud *Ovid.* 6. *Fast.* *Post septem luces Junius actus erit*; i. e. post septem dies. Et de *Pont. l.* 2. *el.* 1. *Multis lucibus ante*, i. e. multis diebus ante.

Decimò, Cum *Affectus* aliquis ponitur pro effectu suo.

Ut *Mich.* 1. 9. *Iram Domini portabo*; i. e pœnam ab irâ profectam. Sic *Eleemosyna* sæpè ponitur pro *dono*, seu opere misericordiæ. Ut *Matth.* 6. 2. *Quum ergo facis eleemosynam, noli tubâ canere ante te.*

Undecimò, Cum *Qualitas* aliqua ponitur pro effectibus ejus.

Ut ſi dicatur *Ægrotat ex frigore*, i. e. febre per frigus contractâ. Sic *Cic.* pro *Mil.* dixit, *Reſiſtere levitati multitudinis*, pro *tumultui*, quem conciverat levitas multitudinis.

Duodecimò, Cum *Cauſa meritoria* ſive meritum ponitur pro eo, quod promeretur, ſive id bonum ſit, ſive malum.

Ut *Gen.* 4. 7. *In foribus peccatum aderit*, i. e. peccati pœna. Sic *Gen.* 19. 15. *Nè & tu pereas in ſcelere civitatis*, i. e. pœna. Ita *Levit.* 20. 29. *Portabunt ambo iniquitatem ſuam*, i. e. pœnam. Sic *Levit.* 19. 13. *Opus mercenarii non pernoctabit tecum*, i. e. mercedem illius operę promeritam in diem poſterum non retinebis. Ita *Oſe.* 4. 8. *Peccata populi mei comedent*, i. e. Sacrificia pro peccatis oblata.

Huc refertur cum *Pretium* ponitur pro Re pretio empta. Ut ſi dicatur, *Hic decem minæ ſunt*, pro *Hic equus decem minis conſtitit.*

13 Cum *Actio* aliqua ponitur pro effectu ſuo.

Ut *Pſal.* 120. 2. *Labbrem manuum tuarum manducabis*, i. e. Cibum manuum labore partum.

14mo Cum *Inſtrumentum* ponitur pro effecto.

Ut apud *Juven. Sat.* 9. *Rumoribus ulciſcuntur baltea*, i. e. Verbera vel vulnera balteis, loci ſive inflicta.

15mo

15mo Cum *Membrum* aliquod ponitur pro illius actione, exercitio, operâ, vel opere.

Ut cum dicitur, *Commoda mihi parumper manum tuam*, i. e. manus tuæ actionem, vel operam. Sic cum *Manus* ponitur pro *ſcripturâ*, *picturâ*, vel *ſculpturâ*. Item cum *Lingua* ponitur pro ſermone. Ut *Linguam callet Gallicam*, i. e. ſermonem Gallicum.

16mo Summatim, cum ponitur aut quodvis *Agens*, vel pro *Actione* ſuâ, vel pro *Re* quæ ab ipſo, ut ab efficiente causâ proficiſcitur, agitur, producitur; aut *Author* facti alieni pro eo quod alius fecit ipſius juſſu vel ſuaſu, monitu vel hortatu, vel quovis modo ab ipſo incitatus, inſtigatus, adjutus, vel etiam non impeditus cum impediri ab eo debuiſſet,& potuiſſet; aut deniq; *Occaſio* pro *Re*, quæ ex iſtâ occaſione fit vel evenit.

CAPUT IX.

De Metonymia Effecti.

QVid eſt Metonymia Effecti?

Metonymia Effecti eſt Tropus, quo ex nomine Effecti intelligitur Efficiens: ſive quo utimur nomine Effecti ad ſignificandum cauſam Efficientem.

Ut *primò*, Cum *Actio* ponitur pro *Agente*.

Hinc 1 *Cor.* 1. 30. *Christus dicitur nobis à Deo factus sanctificatio & redemptio*, i. e. Sanctificator & Redemptor.

Secundò, Cum ponitur *Factum* pro *Faciente*. Hinc *Virgil.* vocavit *Scipiadas cladem Libyæ*, quod ab illis *Libyæ* clades illata sit. Sic dicitur, *Animadversum est in peculatum*, pro *in peculatorem*.

Huc refertur cum *Scriptum* ponitur pro *Scriptore*, vel quodcunque *Opus* pro *Opifice*. Ut, *Pœnas dedit illud Opus*, i. e. *Ovidius* operis illius Author.

Tertiò, Cum *Productum* ponitur pro *Producente*.

Hinc dicitur ab *Horat. l.* 3. *Ep.* 3. *Expalluit* pro *extimuit*; quod timor, pallorem in timentibus producat. Sic dixit *Juven.* 11. *Sat. Pallet fœnoris auctor*, pro timet. Et *Pers. Sat.* 3. *Intus palleat*, pro timeat. Sic ab *Horat.* 1. *Carm. Od.* 9. ponitur *Canities* pro *Senectute*, quia senectus canitiem producit.

Hinc ponuntur *Liberi* vel *Posteri* pro parentibus. Ut *Gen.* 25. *Duæ gentes sunt in utero tuo*, h. e. gentium duarum auctores, *Jacob* & *Esau*.

Hinc ponitur etiam *Res pretio parata* vel paranda, pro *pretio* unde paretur. Ut *Juven. Sat.* 11. *Est tibi gobio tantùm in loculis*, i. e. gobionis pretium, seu nummus quo ematur gobio.

Hinc

Hinc ſummatim ponitur quod *provenit aliunde* per modum Efficientiæ pro eo unde provenit. Ut *miror unde ſit*, i. e. ignoro, quia admiratio ab ignorantia deſcendit. *Multi ſudoris eſt*, i. e. laboris; quia ex labore provenit ſudor. *Magnum vectigal eſt parſimonia*; quia magnum ex parſimoniâ vectigal provenit. *Nobilitas ſola eſt atque unica virtus*, quia ex ſolâ virtute vera nobilitas provenit.

Quartò, Cum *Inſtrumentum* ponitur pro *Efficiente*.

Ut cum *Virg.* ait, *Nec retia cervis ulla dolum meditantur*. Ubi per *retia* intelligit *retiarios*. Niſi ſi quis malit hunc Tropum referre ad Metonymiam Adjuncti.

N. *Quamvis reſpectu Effecti Inſtrumentum eſt Efficiens: tamen reſpectu Efficientis videtur eſſe Effectum; cum ab Efficiente ſit, ut ſit aliquid ejus Inſtrumentum.*

Quintò, Cum ponitur *Facinus* pro *Morali* ejus *Causâ*, ſeu pro Authore, juſſore, inſtigatore, ſuaſore, &c.

Ut cum dicitur *David* interfeciſſe *Uriam* (2 Sam. 12. 9.) *Achabus Nabothum* (1 Reg. 21. 19.) *Judæi Chriſtum* (Act. 2. 15. & 5. 30.) nempe quod alios juſſu, ſuaſu, vel hortatu ſuo incitârunt & inſtigârunt ad eos interficiendos.

Sextò, Cum ponitur *Effectum* pro illius *Occaſione* vel *Merito*.

Ut cum dixit *Cic.* *Mors Clodii ſalus veſtra fuit*, i. e. ſalutis veſtræ occaſio. Sic *Phil.* 1. 25. *Mors mihi lucrum erit*, i. e. occaſio lucri.

Septimò, Cum *Epitheton* Effecti proprium tribuitur cauſæ Efficienti.

Ut cum dicitur ab *Horatio*, *Mors pallida*, quod in mortuis pallorem efficiat; à *Cicerone*, *Victoria inſolens & ſuperba*, quod victores efficiat inſolentes & ſuperbos.

Hunc ad modum dicitur *bruma iners*, *ira præceps*, *adoleſcentia hilaris*, *ſenectus moroſa*, *otium ſegne*, quod bruma reddat homines inertes, ira præcipites, adoleſcentia hilares, ſenectus moroſos, otium ſegnes.

Sic apud *Ciceron.* pro *Lig.* dicitur *timor cæcus*, ſcil. quod timor efficiat homines cæcos, nempe quoad intellectum, qui eſt animæ oculus. Item ab *Horatio* dicitur *amor ſui cæcus*, (quia *ſui amor* efficit *ſe amantem* cæcum, ſcil. quoad intellectum) *lib.* 1. *Od.* 18.

CAPUT X.

De Metonymia Finis & Medii.

Quid eſt Metonymia Finis?

Metonymia Finis eſt Tropus, quo ex nomine Finis intelligitur Medium; ſeu quo nominatur *Finis*, & intelligitur *Medium*.

Ut

Ut *Joh.* 17. 3. *Hæc eſt vita æterna*, i. e. vitæ æternæ medium, ſeu illud quo ad vitam æternam pervenitur.

Sic *honor* ponitur pro *ſacrificio*, quod ad honorem Dei deſtinatur, & medium eſt quo Deus honoratur. Hinc *Virg. Æn.* 1. *Aut ſupplex aris imponat honorem.*

Quid eſt Metonymia Medii?

Metonymia Medii eſt Tropus, quo ex nomine Medii intelligitur Finis; ſeu quo nominatur Medium, & intelligitur Finis.

Ut cum *Amator ſtudiorum* dicitur pro *amatore ſapientiæ.* Aut cum iter ſuſcepturus dicit, *Hoc iter me malè habet*; cum illum verè non malè habeat ipſum iter, ſed illud ad quod iter deſtinatur, & cujus gratiâ ſuſcipitur. In illo *Juvenal. Sat. 9. Quanto metiris pretio? metiris* ponitur pro *æſtimas*: at hoc eſt *medium* pro *fine*; cum ideo res metiamur, ut eas æſtimemus.

Sic dicitur *Gen.* 20. *Is tibi eſt operimentum oculorum*, h. e. is ob quem velari debes in ſubjectionis ſignum; ut locum interpretatur *Voſſius.*

CAPUT XI.

De Metonymia Subjecti.

Quid eſt Metonymia Subjecti?

Metonymia Subjecti eſt Tropus, quo ex

nomine Subjecti Adjunctum ſignificatur.

Quot præcipuè modis fit Metonymia Subjecti?

Metonymia Subjecti quatuor præcipuè modis fit.

Quis eſt primus Modus?

Primus Modus eſt, quando *Subjectum Inhæſionis* ponitur pro *Adjuncto inhærente*; ſeu quando nomen *Subſtantiæ* ponitur pro forma accidentali, ſeu accidente interno.

Ut cum *Cor*, *Jecur*, vel *Cerebrum*, quæ ſapientiæ ſedes ſunt, ponuntur pro *ſapientiâ*, quæ in corde, jecore, vel cerebro ſedem habere dicitur. Hinc illud in *Caton. Grammaticum*, En *cor Zenodati*, en *jecur Cratetis*. Et illud *Horatii*, *l.* 1. *Sat.* 9. *O te Bollane cerebri felicem!* Hoc eſt (aiente *Voſſio*) O te beatum ob mentem adeò præclaram ac generoſam!

Item cum *os* vel *frons* ponitur pro *pudore*, quia in ore vel fronte reſidet. Hinc *Perſius* ait, *Perdere frontem de rebus.*

N. Subſtantia eſt *ens ſeu res per ſe ſubſiſtens & ſubſtans accidentibus*. Accidens autem eſt, *quod diverſo poteſt tempore & abeſſe ſine ſubjecti ſui interitu, ſine poteſt de ſubjecto ſuo vel affirmari vel re ipsâ, vel ſaltem cogitatione*. Ut eſt ſubſtantia, ſcientia eſt accidentia, albedo accidens.

Quis eſt ſecundus Modus?

Secundus Modus eſt, quando *Subjectum adhæſionis* ponitur pro *Adjuncto adhærente*; ſeu quando

do id quod aliud ad ſe recipit, ponitur pro eo quod recipit ad ſe.

Ut, *primò*, quando nomen *Rei*, *quæ per aliquod tempus eſt vel fit*, ponitur pro *Tempore* in quo res illa eſt, vel eſt facta.

Sic nomen *Meſſis*, quæ in æſtate eſt, uſurpatur ad ſignificandum æſtatem, per quam eſt meſſis. Hinc illud *Virgilianum*, 1. Georg. *Antè focum, ſi frigus erit, ſi meſſis, in umbrâ.* Item illud *Plinianum* (l. 22. c. 13.) *Semen* (ſc. urticæ) *colligi miſſibus oportet.* Et illud *Juvenalis*, Sat. 9. *Expectate cicadas*, i. e. æſtatem.

N. *Quanquam* Res *dicatur eſſe in* Tempore, *tamen* Res *Subjectum eſt, &* Tempus *Adjunctum: quia Tempus eſt rei accidens, & circumſtantia. Nam accidit Rei ut in iſto Tempore exiſtat vel fiat.*

Secundò, Quando nomen *Rei ſignatæ*, ponitur ad ſignificandum illius *Signum.*

Ut cum dicitur (1 *Corinth.* 11. 10.) *Ideò debet mulier habere poteſtatem* (h. e. velamen, ſignum poteſtatis, quam vir habet in mulierem) *ſupra caput.* Sic dixit *Juvenal.* Sat. 10. *Crepat ingens Sejanus*, i. e. Sejani ſtatua, ſcil. dum crematur.

Sic de clypeatâ fratris ſui in imagine ingentibus lineamentis uſque ad pectus ex more pictâ, dixit *Cicero*, *Frater meus dimidius major eſt quàm totus*; h. e. Dimidiata fratris mei imago major eſt, quàm ipſe frater totus.

Sic dixit *Virg. Orpheaque in medio posuit, sylvasq; sequentes*, intelligens tantùm cælatas Orpheos & sylvarum imagines.

Nec est quicquam usitatius, quàm Deorum, & Heroum signa ac statuas, eorum vocari nominibus, quorum signa sunt, ut ait *Vossius*. Hinc de *Jovis Ammonis* statua dicit *Lucan.* l. 9. *Stat corniger illic Jupiter*. Hinc etiam ponit *Juvenal.* Sat. 9. *Ganymedem* pro Ganymedis statua.

N. Signum *est Adjunctum externum, quod seipsum sensibus, & illud, cujus est signum, intellectui offert. Ut vestigium est signum pedis; pictura est signum personæ, &c.*

Dici potest hic Modus Metonymia Signati.

Tertiò, Quando nomen *Personæ* ponitur ad significandum ejus *vestitum*.

Ut, *Aspersit me labe*, i. e. vestitum meum.

Quartò, Quando nomen *Possessoris* ponitur ad significandum *rem* ab illo possessam.

Ut cum apud *Virg. ardere dicitur Vcalegon*, cum tamen non ipse ardeat, sed ipsius domus. Sic dixit *Terentius*, *Apud me*, pro domi meæ; Item *Cicero*, *Apud Pompeium*, pro in Pompeii ædibus. Sic *Juven.* Sat. 10. *Longinum clausit*, i.e. *Longini* domum.

Huc refertur, cum *homo* devorari dicitur, cujus opes consumuntur. Ut apud *Terent. Quid te futurum censes, quem assiduè exedent*, i. e. cujus opes consument. Et apud *Plaut.* in Pseud. ac. 4. *Jam illum comesurus es?*

N. *Opes*

N. *Opes, omniaque fortunæ dona homini accidunt, eique extrinſecus adjunguntur, ideoque Poſſeſſor illa ad ſe recipiens habet rationem ſubjecti, & nomen ſubjecti ſortitur.*

Huc item refertur, cum *Deus loci* pro *loco* ponitur: nempe quia Deus ille conſideratur ut Dominus loci, & locus ut regnum Dei, quod quaſi ſortitò ei obligit.

Ut, cum dicitur apud *Horat.* l. 1. Od. 1. *Manet ſub Jove frigido venator*, per Jovem intelligitur aer, quia *Jupiter* eſt aeris Deus. Sic cum apud *Plaut.* dicitur, *Neptuno credat ſeſe*, per *Neptun.* intelligitur mare, quia *Neptunus eſt maris Deus.*

Item cum nomen *Dei* vel *Deæ* ponitur ad ſignificandum ejuſdem *Templum.*

Hinc illud *Juvenal.* Sat. 9. ver. 22. &c. *Nuper enim, ut repeto---- Cererem*, i. e. Cereris templum.

Nec quicquam eſt frequentius, quàm *Larem*, h. e. familiarem Deum pro *domo* poni. Hinc *Parvo ſub Lare* dicitur, pro *parvâ ſub domo*, apud *Horat.* Et *Homo incerti Laris* ſignificat hominem incertæ domûs, apud *Senec.*

Simili ratione *Nomen Dei* ſæpe ponitur pro *Re* cui præſidet.

Ut cum *Vulcani* nomen pro *igne* ponitur. Hinc apud *Virg.* dicitur, *Dulcis muſti Vulcano decoquit humorem*, nempe quod *Vulcanus* igni præſideat. Sic apud *Catull. Jupiter* pro vento

poni.

ponitur, quòd vento, qui eſt aer motus, præſideat. Hinc in illo *Nævii*, *Coquus edit Neptunum, Venerem, Cererem, Neptunus* ponitur pro piſculentis, *Venus* pro oleribus, ut quæ hortorum præſes ſit.

Huc denique refertur cum *nomen Imperatoris* ponitur pro *exercitu*, quem habet, & cui præſidet.

Ut cum *cæſa* dicimus ab *Annibale apud Cannas ſexaginta Romanorum millia.* Nempe quia Imperatori velut ſubjecto accidit, & quaſi adjungitur exercitus, cui præeſt, Niſi fortè locutio iſta referri potiùs debeat ad Synecdochen Partis Integralis pro Toto; Ut cum ponitur *caput* pro *homine*; *Dux* autem eſt quaſi *caput* exercitûs.

Quintò, Quando nomen *Patroni* ponitur ad ſignificandum *Clientem*; & nomen *Advocati* ad ſignificandum *Reum.*

Ut cum *Cicero Cæcinnæ* patronus ſub *Cæcinnæ* perſonâ alloquens *Piſonem Ebutii* advocatum tanquam gerentem *Ebutii* perſonam dixit, *Reſtituiſſe te dixti? Nego me Prætoris edicto reſtitutum eſſe.*

N *Subjectum eſt* Patronus *&* Advocatus, *quia patronus clientem, advocatus reum ad ſe ſibi tutandum & defendendum recipit.*

Sextò, Quando nomen *Antecedentis* ponitur ad ſignificandum *Conſequens.*

Ut

Ut cum *discubuisse* eos dicimus, quos *cœnantes esse* intelligimus.

N. *Hoc cum fit dici potest* Metonymia Antecedentis.
N. *Quia Consequens videtur Antecedenti quasi adjungi, & Antecedens videtur recipere ad se consequens, nec potest esse Consequens nisi præcesserit Antecedens, ideò Antecedens ad subjectorum Speciem commodè referatur.*

Quis est tertius Modus?

Tertius Modus est, quando *Subjectum locationis* ponitur pro *Adjuncto* intra se locato.

Ut, *primò*, Cum *nomen Loci*, quem quis inhabitat, pro ipso incolâ usurpatur. Hinc dixit *Ovid. Neve foret terris securior arduus æther*; ubi per *terras* intellexit *homines* terrarum incolas, & per *ætherem*, *cœlites*, qui cœlum inhabitant. Sic *Virg.* dixit, *Invadunt urbem somno vinoque sepultam*; ubi per *urbem* intellexit cives. Sic *Cicero*, *Italiam*, *Siciliam*, *Africam*, *Galliam* posuit pro *Italis*, *Siculis*, *Africanis*, *Galliscque* hominibus posuit.

Secundò, Cum *nomen Loci* ponitur pro *Rebus* in loco haberi, fieri, vel geri solitis. Ut cum *Cicero Forum*, *Subsellia*, *Curiam*, pro *actionibus Rhetoricis* in foro, subselliis, Curiâq; agi consuetis posuit.

Tertiò, Cum quodvis *Corpus continens* ponitur pro *Re* in illo *contentâ*. Ut, *Ille impiger hausit spumantem pateram*, i. e. vinum. Sic apud *Horat.* l. 1. Od. 17. *Nec virides metuunt colubros hædilia*, sive (ut alii contendunt debere legi)

legi) *hæduliæ*, i. e. hœdulorum ſepta. Ubi per *hædilia* intelliguntur *hæduli*.

Dici poteſt hic Modus Metonymia Continentis.

N. *In hoc tradendo modo locutus ſum non κατ' ἀκείβειαν, ſed κατὰ δόξαν. Nec enim propriè locatum eſt in loco ut in ſubjecto, uti nec contentum in contento. Sed aliquando loquendum eſt cum vulgo, cum ſentiendum eſt cum ſapientibus.*

Quis eſt quartus Modus?

Quartus Modus eſt, quando *Subjectum Occupationis*, ſeu *Objectum*, ponitur pro Adjuncto circa ſe occupato; vel quando *nomen Objecti* ponitur ad ſignificandum *Occupatum*, ſeu *Rem* quæ circa objectum illud verſatur.

Ut cum *Virgilius* dixit, *Formoſam reſonare doces Amaryllida ſylvas*, per Amaryllida intellexit carmen de Amaryllide. Idem dixit, *incidere amores arboribus*, pro--- verſus de amoribus.

Dici poteſt hic modus Metonymia Objecti.

N. Objectum *id eſt, circa quod res aliqua operando verſatur, ſeu occupatur.* Occupatum *eſt id quod occupatur ſeu verſatur circa objectum.*

CAPUT XII.

De Metonymia Adjuncti.

Quid eſt Metonymia Adjuncti?

Metonymia Adjuncti eſt Tropus, quo ex nomine

nomine Adjuncti Subjectum intelligitur.

Quot præcipuè modis fit Metonymia Adjuncti?

Metonymia Adjuncti quatuor præcipuè modis fit.

Quis eſt primus Modus?

Primus Modus eſt, quando nomen *Adjuncti interni*, ſive Accidentis inhærentis ponitur pro ſubſtantiâ, ſive ſubjecto cui ineſt vel inhæret.

Ut cum nomina *Virtutum* & *Vitiorum* ponuntur pro *Perſonis* in quibus ſunt illæ virtutes ac vitia. Cujus generis eſt illud *Ciceronis* in Cat. 1. *Ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia; hinc pudicitia, illinc ſtuprum*, &c. i. e. homines pudici & petulantes, &c. Sic cum *Poteſtas* ponitur pro *Magiſtratu*; ut apud *Juven. Sat.* 10. *v.* 100. & *Rom.* 13. 1.

Item cum *colores* ponuntur pro *rebus coloratis*. Ut apud *Virg. Nectè tribus nodis ternos Amarylli colores*, h. e. tria licia colorata.

Quis eſt ſecundus Modus?

Secundus modus eſt, quando *Adjunctum externum*, ſive adhærens ponitur pro Subjecto, cui adhæret, quodve illud ad ſe recipit.

Ut, *primò*, Quando nomen *Temporis*, *Ætatis*, vel *Seculi* ponitur ad ſignificandum *Perſonas* vel *Res*, quæ in iſto tempore, ætate, vel ſeculi fuerunt, factæve ſunt. Hinc *Virg.* dixit, *Aſpera miteſcent ſecula*, i. e. ſeculorum iſtorum homines. Sic *Cicero* per *ſeculi* ſui *inſolentiam* intel-

intellexit insolentiam *hominum*, qui in suo seculo extiterunt. Sic utimur nominibus *juventutis* & *senectutis* ad significandum homines hujus vel illius ætatis, scil. *juvenes* vel *senes*.

Secundò, Quando ex nomine rei possessæ intelligitur Possessor.

Ut cum *Virg.* 5. *Eclog.* ait — *Nec retia cervis Ulla dolum meditantur.* Ubi *retia* ponuntur pro retiariis.

Tertiò, Quando ex nomine *Signi* intelligenda est *res signata*, sive significata.

Ut cum *Cicero* ex nominibus *togæ* & *armorum*, quæ pacis & belli signa sunt, intelligi voluit *pacem* & *bellum*, quorum illa erant insignia. Sic *fasces* & *purpura* magistratûs insignia, pro ipso *magistratu* usurpantur; item *sceptrum* pro *regno*. Sic *pubes* ineuntis juventutis signum pro ipsâ *juventute* ponitur; item *canities* pro *senectute*. Sic *nomen* ponitur pro *personâ*; ut *Actor.* 1. 15. ὄχλος ὀνομάτων, i. e. turba nominum dicitur pro turbâ hominum. Sic *digito uno caput scalpere*, ponitur ad significandum *mollem*.

Hic Modus dici potest Metonymia Signi.

Quartò, Quando ex *Consequente* intelligi debet *Antecedens*.

Ut cum dicimus eum de *mensâ surrexisse*, quem intelligimus *cœnâsse*; vel esse *sepultum*, quem significamus esse *mortuum*; vel esse illam in *lectum deductam*, quæ *modò peperit*. Hinc

Virg.

Virg. Eclog. 3. *Ipſe aries nunc vellera ſiccat*, i.e. modò in flumen decidit.

Hic Modus dici poteſt Metonymia Conſequentis.

Quintò, Quando *Connexum* vel *Concomitans* ponitur pro Connexo vel Concomitante.

Ut cum *Judæi* dicunt *pedes tegere*, pro *alvum levare*; & cum nos dicimus *exclamare* pro *partu laborare*, quod apud illos alvum levantes *pedes tegant*, apud nos partu laborantes plerunq; præ partendi dolore exclament.

Sic dixit *Petronius*, *Hic eſt apud quem cubitum ponetis*, pro cœnabitis; nempe quia cœnantes ſe in cubitum reponebant.

Poteſt dici hic Modus Metonymia Connexi vel Concomitantis.

Sextò, Quando Aurora, vel Orieris, &c. ponuntur pro regionibus, lociſve quæ ſunt ipſis ſubjecta.

Ut *Juven.* 10. *Sat. Omnibus in terris, quæ ſunt à Gadibus uſque Auroram*, i. e. Indiam Orientalem. Sic *Matth.* 2. 1. *Magi ab Oriente* [i.e. ab Orientali regione] *advenerunt*.

Quis eſt tertius Modus?

Tertius Modus eſt, quando *Locatum* ponitur pro Subjecto intra quod locatur.

Ut, *primò*, Cum ex *Re*, quæ eſt, vel fit in loco intelligitur *Locus*, in quo Res eſt vel fit. Ut, *Te quæſivimus in libellis*, i. e. bibliothecis. Sic *Matth.* 22. 13. *Conjicite eum in tenebras exte-*

riores, i. e. in locum tenebricoſum. Hoc modo *Ludus*, qui in *Circo* fit, ponitur pro *Circo*, in quo fit *ludus*.

Secundò, Cum ex nomine *Contenti* intelligitur *Continens*. Ut, *Vina coronant*, i. e. pateras, quibus vina continentur.

Dici poteſt hic Modus Metonymia Contenti.

Quis eſt quartus Modus?

Quartus Modus eſt, quando Occupatum ponitur pro *Objecto*: ſeu quando *Res*, quæ circa objectum aliquod verſatur, ponitur ad ſignificandum *Objectum* circa quod occupatur.

Ut, *Juravit per timorem patris ſui*, i. e. per Deum, quem pater timuerat. Sic *Virg. Ecl.* 7. *Nymphæ noſter amor Libethrides*, i. e. quas amamus. (Quo modo de *Chriſto* dixit *Ignatius*, ὁ ἔρως μου ἐσταύρωται) *Id. Ecl.* 10. *Tua cura Lycoris*, i. e. quam tu curas. Sic *Proverb.* 13. 12. *Spes* (i. e. res ſperata) *quæ differtur, affligit animam.* Et 1 *Sam.* 1. 21. *Dedit mihi Dominus petitionem meam*, h. e. rem à me petitam.

Dici poteſt hic Modus Metonymia Occupati.

Denique ad Metonymiam Adjuncti refertur, quando de Adjuncto tribuitur in *Epitheto* aliquo, ſeu Adjectivo nomine, quod de Subjecto ejus intelligitur.

Ut cum *mortalia* dicuntur *arma*, quæ *mortalium* arma ſunt; non enim arma ſunt mortalia,

lia, ſed homines, quorum ſunt arma. Sic dicuntur *iracunda fulmina*, cum ira non competat fulminibus, ſed fulminanti. Sic dicitur armatum funus, cum propriè non funus (*the burial*) ſed funerantes (*the Buriers*) cum armis ſint.

CAPUT XIII.

De Metaphora.

Quid eſt Metaphora?

Metaphora eſt Tropus, quo ex ſimilium uno alterum intelligitur; ſive quo, quod alteri rei ſimile eſt, ejus vocatur rei nomine cui eſt ſimile.

Ut cum *Chriſtus Herodem* vocavit *vulpem*, quòd eſſet ſimilis vulpi, nempe aſtutiâ. Sic de *Didone* dixit *Virgil. Magnoque irarum fluctuat æſtu*, quòd, dum incerta huc & illuc raperetur, ſimilis erat aquæ alternis vicibus rurſum prorſum fluenti, & refluenti.

Dicitur Μεταφορὰ *Metaphora*, ſive Tranſlatio, à μεταφέρω *tranſfero*; quòd hoc Tropo quaſi *tranſfertur* vox à ſuâ ſignificatione in alienam, h. e. ad ſignificandum non id, quod primò quidem propriéque ſignificat, ſed aliud quiddam, quod huic reſpectu aliquo ſimile eſt.

N. *Obſervandum eſt, poſſe omnem ferè Metaphoram, (quæ aliud nihil eſt, quàm ad unum vocabulum contracta ſimilitudo) reſolvi & explicari inſerendo vocem* quaſi, *vel* tanquam. *Ut* ferreum pectus, *h. e.* quaſi ferreum.

Ad hunc porrò Tropum intelligendum, paucula quædam ſunt ex Logicis petenda de naturâ ſimilitudinis.

Quid eſt Similitudo?

Similitudo eſt convenientia in qualitate, aut paſſione, ſitu, vel habitu, vel quocunque alio reſpectu.

Quænam ergo dicuntur ſimilia?

Similia dicuntur ea, in quibus eadem eſt qualitas, quæve eadem patiuntur, eodemve quocunque modo ſe habent. Ut *homo* eſt ſimilis *homini*; item *gramini*, *flori*, *bullæ*, &c. Sic *vir fortis* ſimilis eſt *leoni*; *timidus lepori*; *verſutus vulpi*; *avarus lupo*, *inconſtans vento*, *conſtans lapidi quadrato*, &c.

N. *Non eſt neceſſe, ut quæ* ſimilia *dicuntur, per omnia eodem ſe modo habeant; ſed ſufficit, ut in uno aliquo reſpectu conveniant, ſimili ſe modo aliquo habentia, vel ſimiliter patientia. Nam, ut παρομοιαχῶς dicitur,* nulla ſimilitudo currit quatuor pedibus, *h. e. ut aliter dicitur,* Omne ſimile eſt etiam diſſimile. *Quæ ergo in qualitate aliquâ, qualicunque, conveniunt, in eo reſpectu quo conveniunt ſunt ſimilia, quantumcunque in cæteris diſcrepent, ſive diſſimilia ſint. E. g.* Homo *eſt* Vulpes *multùm ſunt diſſimiles formâ, tum internâ, tum externâ: tamen ſimiles ſunt reſpectu aliquo, nempe verſutiâ; quia uterque eorum eſt aſtutus.*

Ad ſimilitudinem refertur *Analogia*, quæ quidem eſt ſimilitudo, ſed geminata. Et ut

in

in *Similitudine*, quæ eſt convenientia unius cum altero in aliquo tertio, reſpondet unum uni; ut *homini* ejus *pictura*: Sic in *Analogia*, ſeu Proportione, quæ eſt convenientia plurium cum plúribus in eâdem habitudine, reſpondent bina binis. Ut cum dicitur, Princeps eſt caput Reſpublicæ, quatuor ſunt, *caput* & *corpus*, *Princeps* & *Reſpublica*, quorum duo duobus reſpondent, ſc. *Princeps capiti*, & *Reſpublica corpori*. Nam ſic ſe habet *Princeps* ad *Rempublicam*, ut ſe habet *caput* ad *corpus*; & ſic ſe habet *Reſpublica* ad *Principem*, ut ſe habet *corpus* ad *caput*.

Quum autem vix aut ne vix quidem aliquod unum ſit in universâ rerum naturâ, cui non ſit aliquid aliud ſimile, aliquo ſaltem reſpectu; hinc fit, ut tam latè pateat Metaphora, quàm rerum natura, nec ſit in orbe univerſo aliquid, unde non poſſit commodè duci Metaphora. Sunt tamen quædam præcipuæ rerum claſſes ex quibus Metaphoræ duci ſolent.

Quot præcipuæ rerum claſſes ſunt à quibus Metaphora duci ſolet?

Duodecim præcipuæ rerum claſſes ſunt à quibus duci ſolet Metaphora.

Prima eſt *rerum divinarum*. Ut, *homo homini deus eſt*, i. e. quaſi deus. Sic *Cic.* pro Sext. *Cujus ego patrem Deum atque parentem ſtatuo fortunæ nominiſque mei.*

Secunda *rerum* eſt *cœleſtium*. Ut, *Virgilius Poetarum Sol eſt*, i. e. tanquam Sol. Sic

Cic. Catil. 3. Clariſſimis viris interfectis lumina civitatis extincta ſunt.

Tertia *rerum infernalium* eſt. Ut, *homo homini dæmon* eſt, i. e. quaſi dæmon. *Agitatur furiis.*

Quarta eſt *Elementorum.* Ut, *invidiæ flamma; eloquentiæ flumen; popularis gratiæ aura; incenduntur ad ſtudia; cœptis aſpirate meis; irarum fluctuat æſtu.*

Quinta eſt *Meteororum.* Ut, *fulmen orationis; frontis nubecula; ros gratiæ.* Sic *Cic. in Piſ. Alios ego vidi ventos, alias animo proſpexi procellas.*

Sexta *Lapidum* eſt. Ut, *lapides loqueris*, i. e. dura. *Lapidi dixeris*, i. e. taciturno. *Marmoreum cor.*

Septima eſt *Metallorum.* Ut, *aurea ſecula; ferreum pectus; argentea proles.*

Octava *Plantarum* eſt. Ut, *flos nobilitatis*; vel *lactis.* Sic *Cantic. 2. 1. Ego flos campi & lilium convallium.* Joh. 15. 1. *Ego ſum vitis vera.*

Nona eſt *Brutorum.* Ut, *latrant oratores.* Luc. 13. 32. *Dicite vulpi illi*, i. e. Herodi. Sic *Cicero Piſonem* vocavit *admiſſarium*; & eum dixit *adhinniiſſe*: ſicut *Juvenalis Virronem* hominem ſalacem vocat *paſſerem.* Sat. 9.

Decima eſt *humanorum Membrorum* vel *Partium.* Ut, is eſt *anima negotii*; vel *os concionis.* Sic *Ovid. Ager gravidis canebat ariſtis.*

Unde-

Undecima *humanorum* eſt *Operum*. Ut, *limare ſcriptum*; *amicitiam diſſuere*. Joh. 10. 7. *Ego ſum oſtium ovium*. *Appion* dictus erat *cymbalum mundi*.

Duodecima *humanorum* eſt *Officiorum*. Ut, *vir gregis*. Joh. 10. 14. *Ego ſum paſtor bonus*. Joh. 15. 1. *Pater meus agricola eſt*. Sic *Pithagoras* γνώμων five rationem vocavit ἡνίοχον, i. e. aurigam.

N. *Troporum omnium nullus eſt, qui plus luminis orationi affert, quàm Metaphora. Magno tamen in Metaphoris delectu opus eſt.*

Inter omnes illæ commendatiſſimæ habentur Metaphoræ, quæ rebus ſenſu expertibus actum quendam ac quaſi animum tribuunt. Ut cum apud *Virg.* dicitur fluvius *Araxis* impoſitum ſibi ab *Alexandro* pontem *indignatus* evertiſſe; & apud *Martial.* fictitii cujuſdam *Scævolæ* manus *attonito in igne regnaſſe*.

Item cum *Juven. Sat.* 8. dixit, *Pheidiacum vivebat ebur*, i. e. erat ad vivum ſculptum tanquam viveret.

Quæ verò Metaphoræ ducuntur à re vel *ſordidâ*, vel *obſcenâ* vitioſæ ſunt; item quæ petuntur, vel nimis longè, vel à re nimis diſſimili; tandem illæ, quæ rem nimis vel amplificant, vel extenuant.

Metaphoræ aliquando reciprocæ ſunt. Nam ut *ſtellæ* vocantur *flores* cœli; ita *flores* vocantur *ſtellæ* campi. Aliquando tamen non reci-

Procantur. Non enim *cæli* nomen accommodatur *æquori*, licèt *æquoris* nomen transferatur ad *cælum*. Vide *Voss. de Instit. Orat. l.4.c.6.p.89.*

CAPUT XIV.

De Ironia in genere; item de Oppositis.

Quid est Ironia?

Ironia est Tropus, quo ex uno Oppositorum aliud intelligitur; vel quo, quod de uno Oppositorum dicitur, de alio intelligitur.

Dicitur Εἰρωνεία *Ironia*, ab εἰρωνεύομαι *dissimulatione utor* in loquendo: quia hoc qui Tropo utitur, quasi *dissimulanter* agit, aliud loquendo, aliud intelligendo.

Ad hunc tandem Tropum intelligendum sunt quædam de Oppositorum naturâ & speciebus ex Logicis præguſtanda.

Quæ sunt Opposita?

Oppositа sunt, quæ neque de se invicem, neq; de eodem tertio, secundum eandem partem, aut naturam, eodem respectu, modo, ac tempore verè affirmari possunt.

N. *Positis hisce conditionibus, si Oppositorum alterum de altero affirmetur, prædicatio erit falsa. Ut, si dicas* canem *esse* leonem, *vel* album *esse* nigrum. *Si utraque Opposita de eodem tertio affirmentur, enunciatio alterutra erit falsa. Ut, si dicas* Platonem *esse* divitem, *&* Platonem *esse* pauperem, *vel* Speratem videre, *&* Socratem cæcum *esse.*

Si

Si oppoſita affirmentur verè, vel de ſe invicem, vel de aliquo tertio, harum aliqua conditionum neceſſariò erit requirenda. Dici enim verè poteſt; *Æthiops* eſt *albus*, & *Æthiops* eſt *niger*, ſed non ſecundum eandem partem; nam *albus* eſt tantùm *dentibus* & *oculis*, *toto* reliquo *corpore niger*. Sic verè dici poteſt, *Chriſtus eſt Dominus Davidis*, & *Chriſtus eſt filius Davidis*, ſed non ſecundum eandem naturam: nam *Dominus* eſt *Davidis* ſecundum *naturam divinam*, at eſt *Filius Davidis* ſecundum *naturam humanam*. Sic *numerus quaternarius* dici verè poteſt & *duplum* & *dimidium*, ſed non eodem reſpectu: nam *binarii numeri* reſpectu *duplum* eſt, at reſpectu *octonarii numeri* eſt *dimidium*. Item dici verè poteſt, *mundus habet initium*, & *mundus non habet initium*, ſed non eodem modo: nam *habet* quidem *mundus initium durationis*, ſed *non habet initium magnitudinis*. Tandem verè dici poteſt, *Olim Mileſii non erant fortes*, & *Olim fortes erant Mileſii*; at non eodem *tempore*, ſed *diverſo*.

Quot ſunt Species Oppoſitorum?

Oppoſitorum ſpecies ſunt ſex, viz. *diſparata*, *contraria*, *relata*, *privantia*, *contradicentia*, & *repugnantia*.

Quæ ſunt Diſparata?

Diſparata ſunt, quorum unum opponitur pluribus ejuſdem ordinis.

Ut equus, leo, lupus, canis, &c. Sic ficus, pyrus,

pyrus, pomus, vitis, ceraſus, &c. Album, flavum, rubrum, viride. Hinnire, boare, latrare, rudere, &c. Infans, puer, adoleſcens, vir, ſenex. Britannus, Hiſpanus, Romanus, Gallus, &c.

Quæ ſunt Contraria?

Contraria ſunt duo abſoluta, quæ ſub eodem genere plurimùm diſtant.

Ut album & nigrum; calidum & frigidum; rectum & curvum; ſervus & liber; amor & odium; virtus & vitium; gaudium & triſtitia; accuſare & defendere; laudare & vituperare; ſperare & timere; promittere & minari.

Quæ ſunt Relata?

Relata ſunt, quorum alterum alterius eſſe dicitur, vel quovis modo ad illud refertur.

Ut pater & filius; dominus & ſervus; præceptor & diſcipulus; dare & accipere; docere & diſcere, &c. Nam *pater* eſt *filii pater*, & *filius* eſt *patris filius*; & *dare* refertur ad accipientem, ut *accipere* refertur ad dantem; damus enim accipienti, & accipimus à dante.

Quæ ſunt Privantia?

Privantia ſunt, quorum alterum negat in eo tantùm ſubjecto in quo affirmatum ſuâpte naturâ ineſt.

Ut viſus & cæcitas; ſcientia & ignorantia; lux & tenebræ; vigilia & ſomnus; motus & quies; veſtitus & nudus; audiens & ſurdus; loquens & mutus; dives & pauper.

Quæ

Quæ ſunt Contradicentia?

Contradicentia ſunt, quorum alterum negat id, quod alterum ait; ſive ſunt ens & non ens oppoſita.

Ut homo, non homo, album, non album; videre, non videre; eſt, non eſt; facit, non facit; bonus, non bonus; bene, non bene; ſemper, non ſemper.

Quæ ſunt repugnantia?

Repugnantia ſunt Oppoſitorum conſentanea, aut conſentaneorum oppoſita.

Ut pater & generari; filius & fœminam eſſe; diſcipulus & docere; ſervus & facere quod vult; ignis & frigidum; amicitia & fraus; bonum & pœna; malum & promiſſio; memoria & futurum; conſultatio & impoſſibile; leo & balare; templum & ludi; prudentia & prodigalitas.

Quotuplex eſt Ironia?

Ironia quintuplex eſt; ſcilicet à Diſparato, à Contrario, à Relatis, à Privantibus, & a Contradicentibus.

CAPUT XV.

De Ironiæ Speciebus.

Quid eſt Ironia à Diſparato?

Ironia à Diſparato eſt, quâ quod de uno diſpa-

disparatorum, vel affirmatur vel negatur, de alio affirmari intelligitur.

Ut, cum *Menalcas* (apud *Virgil.*) affirmat quosdam *vidisse ipsum Myconis arbustum incidere*, quod de se dicit, vult intelligi de *Dametâ*.

Sic, cum *Ulysses* (apud *Ovid.*) enumeratis majoribus suis negat *quenquam in his damnatum esse & exulem*, intelligendus est quasi affirmaret quosdam in genere *Ajacis* fuisse damnatos & exules, nempe patrem ejus *Telamonem*, & patruum *Peleum*, ob trucidatum fratrem tertium *Phocum*. Et cum patrem suum fraterni sanguinis fuisse sontem negat, tacitè affirmit patrem *Ajacis* fuisse fratricidam.

Quid est Ironia à Contrario?

Ironia à Contrario est, cum ex contrariorum altero alterum intelligitur; sive, quando quod de altero contrariorum dicitur de altero intelligitur.

Ut, cum *Simo* ille *Terentianus* increpans *Davum*, hominem scelestum, & qui malè rem gessisset, *O salve*, inquit, *bone vir, curâsti probè*. Sic cum *Cicero* vocat *Verrem præclarum Imperatorem*, sic est intelligendus ac si eum vocasset *Imperatorem nefarium*.

Hujus generis est illud ejusdem in *Orat.* pro *Quinctio*; *Tum ille vir optimus, vereor ne se derideri putet, quòd iterum jam dico, optimus.* Ubi *optimus* ex dicentis mente est *pessimus*. Item illud (*in 2. de Orat.*) ubi de *Lamiâ* deformi

mi oratore odiosè *Crassum* interpellante, *Audiamus*, inquit, *Crassus*, *pulchellum puerum*, i. e. hominem deformem.

In *Virgiliano* illo, *At sperate deos memores fandi atque nefandi*, *sperate* ponitur pro *timete*. Et in illo ejusdem Authoris (*Æn.* 2.) *Me promisi ultorem*, *promisi* ponitur pro *minatus sum*. Et in illo *Ovidiano* (*Ep. Phyllid.*) *Spes quoque lenta fuit*, *spes* significat *metum*.

Quid est Ironia à Relatis?

Ironia à Relatis est, quando, quod de Uno relatorum dicitur, de altero intelligitur.

Ut, cum dicit parens contumaci filio, *nempe tu parens es*, *ego filius*. Item si dicat offensus dominus immorigero servo, *Tu scilicet dominus es*, *ego servus*. Vel si dicatur *verberatus* fuisse à discipulo *præceptor*, cum *vapulavit* à præceptore *discipulus*.

Quid est Ironia à Privantibus?

Ironia à Privantibus est, cum ex privativè oppositorum uno alterum intelligitur.

Ut, cum *cæcus* dicitur tam *acutùm cernere* quàm aquila. Vel cum *dives* vocatur *pauper*.

Quid est Ironia à Contradicentibus?

Ironia à Contradicentibus est, quando ex contradicentium uno alterum intelligitur.

Ut, cum indulgentiori in filium patri dicitur *Puerum tu istum non amas*, i. e. *amas*, & quidem vehementer. Item cum quis dicit se id dixisse, quod tamen *non dixerat*. Sic cum *Juvenalis*

illas

illas *sanctas* vocat *gentes*, quas intellexit *non sanctas* esse.

Huc pertinent *Paralipsis* & *Apophasis*.

Paralipsis est, quâ dicimus nos quædam præterire, quæ tamen non præterimus, sed disertè enunciamus.

Apophasis est, quâ negamus nos ea dicere aut facere, quæ tamen dicimus aut facimus.

De utrisque, *vide Lib. 2. cap. 16.*

N. Si cui nimis accurata videatur hæc Ironiæ divisio & tractatio (quanquam quid esse potest in tradendis Artibus nimis accuratum?) potest esse contentus usitatis illis duabus Ironiæ Speciebus, scilicet Ironia à Disparato, *&* Ironia à Contrario, *& ad illas duas referre cæteras omnes: præsertim cum* Disparatorum *vox usurpetur apud Rhetoricos laxiore sensu quàm apud Logicos; ita nempe ut ad quaslibet res diversas, & vel numero tantùm differentes, modò non naturâ sibi invicem contrarias, vel prædicatione contradictorias, extendatur: & cum nomen* Contrarii *sic Rhetorici hac in re accipiant, ut illud ad omnia oppositionum genera extendant, eoq; Ironiam definiant esse Tropum, quo per id quod dicitur contrarium intelligitur.*

CAPUT XVI.

De Modis quibus Ironia percipitur.

QUot Modis percipitur aliquid Ironicè dici?

Percipitur aliquid Ironicè dici tribus modis; scilicet vel *Naturâ* personæ, aut rei de quâ dicitur; vel ex *Modo* dicendi; vel aliquo

quo *Geſtu*, ſive Actione dicentis.

Nam primò ſi quod dicitur ejuſmodi ſit, ut non conveniat cum *naturâ*, vel *perſonæ*, vel *rei*, de quâ ſermo inſtituitur, palàm eſt id dici non, verè atque ex animo, ſed Ironicè, i. e. ſimulatè, atque aliter quàm revera ſentitur.

Ut ſi quis opulentum quendam *homuncionem pauperculum* nominet; vel ſi quis pro *longurione nanum* dicat; pro *crudeli clementem*; pro *obeſo macilentum*, &c. vel ſi quis *librum* quendam *grandiorem* nomine *Enchiridii* ſeu *Manualis* vocet; vel ſi quis *vitam* omni vitiorum eluvie contaminatam prædicet eſſe iter ad honorem vel gloriam, in aperto erit eum aliter ſentire quàm loquitur, proindéq; Ironicè loqui.

Deinde ſi gravia illa ſeriáque, quæ de quovis homine dicuntur, cum riſu quodam, vel geſtu aliquo deriſionem præ ſe ferente efferantur, manifeſtum eſt ea dicta fuiſſe Ironicè tantùm, atq; perſimulationem, nequaquam verò ex animo atque ſententiâ dicentis.

Hujus generis eſt illud Ciceronis de Clodio, *Integritas tua te purgavit, mihi crede, pudor eripuit, vita anteacta ſervavit.*

Tandem, ſi quis agat aliquid, quod verbis ſuis diſſentit, id, quod agit, eſt indicium, eum aliter ſenſiſſe atque dixerit.

Ut ſi quis in convivio cibum aliquem lautiorem verbis vituperet, atque interim largiter de eo comedat, inde conſtabat, illum non ſeriò

cibum

cibum istum vituperâsse, sed tantùm simulatè, eoque planè animo, ut alios ab esu ejusdem deterreat, sibique largiore ejus portione meliùs consulat.

Atque hæc de Troporum *Generibus*: progrediendum jam ad eorundem *Affectiones*.

CAPUT XVII.

De Catachresi.

Quid est Catachresis?

Catachresis est, cum verbum aliquod nimium longè à significatione suâ ducitur, nimisque præter naturam suam usurpatur.

Ut cum *Virgilius* pro *mari* posuit *stagnum* (*Æn.* 1.) item cum dixit *Venerem genuisse Æneam*, cum *gignere* sit proprium *patris*, ut *parere* est *matris*. Hujus generis est, cum dicitur *plumbea cos*; *aurea*, vel *argentea pyxis*; cum fiat propriè *cos* de lapide, pyxis de buxo.

Dicitur Κατάχρησις *Catachresis*, à κατὰ *contra*, & χρῆσις *usus*, quia in hoc dicendi modo verbis contra consuetum eorum usum utimur, & planè abutimur.

N. *Catachresis in omni Troporum genere invenitur.*

In Synecdoche Generis. Ut quando *Virgilius* (2. *Æn.*) vocavit *Anchisen Æneæ parentem*, quem propriè vocâsset patrem. Nam *parere*, unde

unde *parens* ducitur, propriè est fœminarum tantùm. Quo fit ut verbi *parentis*, ad significandum *patrem* translatio durior videatur.

In Synechoche Speciei. Ut quando *Cicero* (in 1. *Catil.*) vocavit *Catilinam civium parricidam*, quem propriè vocâsset *interfectorem*. Et cum apud *Virgil.* (2. Æn.) *ædificare equum*, ponitur pro *struere*. Cujus verbi jucundior est translatio, cum apud *Cæsarem naves*, apud *Ciceron. classes* dicuntur *ædificari*.

In Synecdoche Partis Essentialis. Ut quando ponitur *abies* pro tabellis abiegnis. Quam verbi traductionem *Quintilianus* author est prosam non recipere. *Lib.* 8. *cap.* 6.

In Synecdoche Partis Integralis. Ut cum dixit *Horat.* Ser. 1. Sat. 5. —*Carceribus missos rapit ungula currus*. Nam *ungula equina* pro *ipso equo* duriusculè dicitur.

In Metonymiâ Efficientis. Ut cum *Lucanus* (l. 4.) dixit, *Urebant montana nives*, pro *exsiccabant*. Nam efficit quidem ustio exsiccationem in iis rebus quæ uruntur. Sed *urere* pro *exsiccare* duriter dicitur, præsertim de nivibus.

In Metonymiâ Subjecti. Ut cum *Horatius*, Epod. 12. dixit, *Hircum in alis cubare*, & *Catullus caprum sub valle alarum habitare*, in Ruf. Quibus verbis *fœtorem* ille *hircinum*, hic *caprinum* in alis subesse significabat, sed satis duriter.

In Metonymiâ Adjuncti. Ut cum apud *Virg.*

Æn. 4. dicitur, *Oculiſve aut pectore noctem accipit.* Ubi nimis præter naturam vocis, *nox* ponitur pro *ſomno.*

In Metaphorâ. Ut cum *Virg.* 7. Ecl. *caprum* nominavit *gregis virum*, quemadmodum *Horat. lib.* 1. *Od.* 17. vocavit *capras devias olentis uxores mariti.* Et cum *Horat. lib.* 4. *Od.* 13. vocavit capillos canos *capitis nives.* Item cum *Cicero virum luxurioſum*, vocavit *Syrtim patrimonii*, & *Charybdim bonorum.* Et cum apud *Horat. lib.* 4. *Od.* 4. dicitur *Eurus* per *Siculas equitare undas.* Item cum apud *Ovid.* 1. *Triſt.* 2. *Eleg.* dicuntur *volvi aquarum montes.* Sic cum apud *Martial. l.* 1. *ep.* 43. dicitur *Portia*, *Ardentes avido ore bibiſſe favillas.* Et cum *Heraclitus* apud *Columel.* lib. 8. c. 4. *Sues cœno*, *aves pulvere*, vel *cinere lavari* ait. Et cum de rege *Babylonis* dicitur, *Jer.* 43. 12. *Amicietur terrâ Ægypti*, &c.

In Ironiâ. Ut cum *Virg.* 1. *Æn.* dixit, *Sperate* (pro *timete*) *deos memores fandi atque nefandi.* Et *Georg.* 4. *Erit maculis auro ſqualentibus* (pro *ſplendentibus*) *ardens.* Et 1. *Æn. Promiſi ultorem*, pro *minatus ſum.* Item cum *Horat.* 2. *Serm.* 2. *Sat.* poſuit *præclara minantem*, pro *promittentem.*

N. *Ad moliendam Catachreſim, ſi durior videbitur futura verbi tranſlatio, hâc aut ſimili formâ utendum*; Ut ita dicam; ſi ſic loqui liceat, *&c.*

CAPUT

CAPUT XVIII.

De Hyperbolé.

Quid est Hyperbole?

Hyperbole est audacior Tropi elevatio, quâ rem aliquam dictione plus justo significante amplificamus vel extenuamus. Sive, est elatior dicendi modus, in quo de re aliquâ plus dicitur, quàm revera intelligitur.

Ut si prælargum quis hominem vocet gigantem, vel *Atlanta*: Vel si hominem pusillum dicat nanum esse, vel *Pygmæum*.

Dicitur Ὑπερβολὴ *Hyperbole*, ab ὑπερβάλλω *exsupero*, quoniam *exsuperat* vocis significantiâ id quod veri est in re.

Quot sunt Species Hyperboles?

Hyperboles duæ sunt Species.

Altera, quâ id quod verè magnum est adhuc majus verbis nostris videri facimus.

Ut cum eum, qui *liberalis* est, *magnificum* vocamus; qui *severus*, *sævum*; qui *improbus*, *sacrilegum*.

N. *Hanc Hyperboles Speciem dicunt vulgò Auxésin.*

Dicitur autem Αὔξησις *Auxésis*, ab inusitato αὐξάω *augeo*; quod utentes verbis rei magnitudinem significatione suâ exsuperantibus rem ipsam augere, & majorem quàm verè est facere videamur.

Altera, quâ id, quod verè parvum eſt, adhuc minus verbis noſtris facimus videri.

Ut ſi hominem greſſu tardiorem teſtudinem vocemus; vel ſi dicamus pro parco avarum, pro egeno mendicum. Hinc ille *Plautinus* ſenex macilentum deſcripturus agnum, *Oſſa*, inquit, *atque pellis totus eſt.* Aul. 3. 6.

Hæc Hyperboles Species dicitur vulgò Miosis.

Dicitur autem Μείωσις *Miósis*, à μειόω *minuo*, ſeu *minorem reddo*, quòd utentes verbis rei parvitatem ſignificatione ſuâ exſuperantibus, rem ipſam minuere, & minorem facere, quàm verè eſt, videamur.

N. *Non eſt ea Hyperboles mens, ut dicendo quenquam fallat, ſed ut per illud, quod veritatem excedit, verum doceat & perſuadeat.*

Hyperbole in omni ferè Troporum genere locum habet.

In Synecdoche Speciei & Individui. Ut cum nomen ſpeciale vel ſingulare rei, vel perſonæ cujuſpiam in ſuo genere præcellentis ponitur pro perſonâ, vel re aliquâ, quæ in eo genere excellit. Sic cum *Ovid.* 1. *Triſt.* dixit *aquarum montes tacturos* ſidera, tantummodo intellexit eos in permagnam iri evectos altitudinem. Sic cum præcellentem poetam vel oratorem nominamus *Virgilium* vel *Ciceronem.*

Per Hyperbolicam quoque Synecdoches ejuſdem

dem *Auxeſin* ſpecialia vel ſingularia illa, quæ in ſuo genere maximè excellunt, etiam ſuperari ab aliquo dicuntur. Ut cum dixit *Ovid. 3. Triſt. 11. Eleg. Sævior eſt triſti Buſiride.* Ubi tantùm intellexit eum eſſe perſævum. Hujus generis eſt illud in *Lam.* 4. 7. *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte.* Et illud *Virgilii* (7. Eclog.) *Nerine Galatæa thymo mihi dulcior Hyblæ, Candidior Cynis, hederâ formoſior albâ.* Et illud *Ovid.* Met. 13. f. 8. *Candidior folio nivei Galatea liguſtri, Floridior prato, longâ procerior alno*, &c. Item innumeræ ferè *Proverbiales ſententiæ*, quales *Spongiâ bibacior; pice nigrior; Ariſtide juſtior; Pæno perfidior; Iro pauperior; talpâ cæcior; limace tardior; plumbo ſtupidior*, &c. in quibus omnibus, & horum ſimilibus, eſt Auxeſis Hyperbolica, quâ quorundam virtutes vel vitia, perfectiones vel defectus, aliorum comparatione augentur.

In Synecdoche Totius Integralis. Ut cum *Cicero* (in *Phil.* 2.) dixit, *Antonium fruſtis eſculentis vinum redolentibus gremium ſuum & totum tribunal* (i. e. permagnam ejus partem) *impleviſſe.* Et cum apud eundem (2. *de Orat.*) *Innumeri Principes* dicuntur pro *permultis.*

In Metonymiâ Effecti. Ut cum apud *Terentium, ſcelus* ponitur pro *ſceleſto*, i. e. ſceleris Effectore. *Ego te pro iſtis dictis & factis ſcelus, ulciſcar.*

In Metonymiâ Subjecti. Ut cum dixit *Ci-*

cero, *In me carcerem effudistis*, solummodo intelligens in se effusos incarceratos.

In Metonymiâ Adjuncti. Ut cum pro pestiferis civibus, & contaminatis, *Cicero* dixit, *O pestes! O labes!*

Sic cum personas virtutibus, vitiis, aliisve qualitatibus insignes, ipsarum virtutum, vitiorum vel qualitatum nominibus insignimus. Ut si quis *Aristidem*, vel alium quemvis insignem justitiâ hominem, non *justum*, sed ipsam justitiam nominet. Vel si de eloquente viro verba pro concione habituro dicatur, *nunc ipsam eloquentiam dicentem audietis.* Tale est illud *Terentii*, *Tu quantus quantus, nihil nisi sapientia es.* Et illud *Martialis*, *Non vitiosus homo es, Zoile, sed vitium.*

Audacior adhuc est hoc in genere Hyperbole, cum personas virtutibus vel vitiis præcellentes ipsas etiam virtutes vel vitia superare dicimus. Ut si vir justitiâ vel eloquentiâ præcellens dicatur esse ipsâ justitiâ justior, vel eloquentiâ ipsâ eloquentior. Nec dissimiliter se habet res in cæteris aliarum rerum qualitatibus. Ut si dicatur aliquid esse *dulcedine dulcius*, *candore candidius*, *tarditate tardius.* Nisi fortè malis hæc ad Synecdochen Speciei referre.

In Metaphorâ. Ut cum de rebus animo sensuque carentibus ea loquimur, quæ rebus sensu animoque præditis conveniunt. Ut cum dicuntur à *Cicerone*, *Parietes gestire gratias agere Cæsari*;

Cæſari; & à *Virgilio* inducitur *Pontem indignatus Araxes*. Nam cum *geſtire*, tum *indignari*, ſunt actus animalium gaudio exultantium, vel irâ efferveſcentium.

In aliis Troporum Generibus habet Hyperbole *locum*, in Metaphorâ *regnum*.

Ut Hyperbole graviori & alteriori, quàm pro re, utens verbo, rei vel exceſſum vel defectum auget, & plus vero dicens facit id quod verè magnum eſt videri majus, & id quod verè parvum eſt videri minus: ita eſt alia quædam huic contraria Tropi affectio, quæ leviori & humiliori, quàm pro re, utens verbo, rei vel magnitudinem vel parvitatem minuit, & minus vero dicens facit id quod verè magnum eſt, non ita magnum videri, & id quod verè parvum eſt non videri ita parvum.

Ut ſi quis ingentem antiqui *roboris truncum* vocet *ſarmentum*, vel *ſcipionem* [*a ſtick*] vel ſi pro immani porco porcellum [*a Pig*] dicat; item ſi ſe aiat eum *leviter perſtrinxiſſe*, aut aliquantulum læſiſſe, quem *graviter vulneravit*, aut penè occidit.

Hoc loquendi genere pro *ſcelere erratum* dicimus; pro *crudeli ſeverum*, pro *mari gurgitem*. Et ut Hyperbolæ præcipuus uſus eſt in *Amplificando*, ita præcipuus hujus dicendi generis uſus eſt in *Extenuando*.

Hîc dicendi modus dicatur (fortaſſis non ineptè) Ὑστέρησις *Hyſterêſis*, ab ὑστερεῖν *inferior ſum*:

ſum: quòd ſic loquentes verbis utimur levioribus ſive humilioribus, & quæ infra rei veritatem ſunt, nec ei totum, quod debetur illi, tribuunt. Cui hoc nomen nec arridet, aliud ipſe aptius inveniat.

Quod ſi quis malit, & hoc dicendi genus ad Hyperbolen referre, & id dicere *Μιόσιν* vel *Ταπινόσιν* (id quod nonnulli faciunt) nempe quod minora vero de re loquentes ipſam videmur rem minuere, ut ut contradicat vocabuli ſignificatio (nam Ὑπερβολὴ, ut *Voſſius* dicit, quod ad verbum, *ſuperjectionem*, hoc eſt, *exceſſum*, ſive *eminentiam* notat; unde & *Quintiliano* dicitur *ementiens ſuperjectio*; item *Petro Ramo*, aliiſque poſt eum Scriptoribus, *ſuperlatio*) tamen non magnopere contendam, aut ullam ſuper tantillâ re movebo litem.

CAPUT XIX.

De Metalepſi.

Quid eſt Metalepſis?

Metalepſis eſt dicendi modus, in quo ſub unâ voce plures Tropi (ſive ejuſdem, ſive diverſi generis) continentur, quorum prior tranſitum ad poſteriorem præbet.

Ut apud *Virg.* 1. *Ecl. Poſt aliquot mea regna videns mirabor ariſtas?* Ubi Poeta per *ariſtas*, primò

primò intelligit *ſpicas*, per Synecd. Partis Integralis; tum per *ſpicas* intelligit *ſegetes*, per eandem Synecd. deinde per *ſegetes* intelligit *æſtates* per Meton. Subjecti; denique per *æſtates* intelligit *annos*, per eandem Synecd. Partis Integralis.

N. *Quidam vocant Metalepſis, quando ex Antecedente intelligitur Conſequens, vel ex Conſequente Antecedens; vel ex Connexo Connexum. Sed hæc ſupra retulimus ad Metonymiam Subjecti & Adjuncti.*

Dicitur Μετάλη‡ις *Metalepſis* à μεταλαμβάνω, compoſito à μετὰ *poſt*, & λαμβάνω *accipio*, & ſignificante *poſt accipio*, i. e. *unum capio poſt alterum*, ſeu relicto uno capio alterum: quia in Metalepſi eſt quædam quaſi congeries Troporum, qui ſingulatim & ordine percurrendi ſunt & enucleandi, uno poſt alterum ſumpto, ſeu relicto uno & capto altero, donec ad vocabulum proprium veniatur.

N. *Reperitur Metalepſis ferè in omni Troporum genere.*

In Synecdoche Generis & Speciei. Ut cum poſuit Seneca *Sidus* pro *Sole*. Nam primò *Sidus* (i.e. ſtella fixa) ponitur pro *Stella* in genere, per Synecd. Speciei pro Genere; deinde *ſtella* in genere ponitur pro *planeta* per Synecd. Generis pro Specie; denique *planeta* ponitur pro *Sole* per Synecd. Speciei pro Individuo.

In Synecdoche Individui. Ut cum dixit *Virg. Poculaque inventis Acheloïa miſcuit uvis.* Ubi primò

primò per *pocula* Acheloïa intellixit *aquam Acheloïam*, per Meton. Subj. deinde per aquam Acheloïam intellexit quamlibet aquam in genere per Synecd. Individui.

In Synecdoche Totius Eſſentialis. Ut cum ponitur *anima* pro *corpore*, id quod fit in pluribus S. Scripturæ locis, viz. *Num.* 6. 6. *Levit.* 21. 11. & 22. 4. *Pſal.* 16. 10. & 89. 48. *Hagg.* 2. 13. Nam primò per *animam* intelligitur *homo* per Synecd. Partis Eſſentialis pro Toto; deinde per *hominem* intelligitur *corpus* per Synecd. Totius Eſſentialis pro Parte.

In Synecdoche Partis Eſſentialis. Ut in illo *Ovidii*, *Et ſtructis cantat avenis.* Ubi primò per *avenas* intelligitur *culmus avenaceus*, per Synecd. Partis Integralis; tum per *culmum avenaceum* intelligitur *quilibet culmus in genere*, per Synecd. Speciei pro Genere; deinde per *culmum in genere* intelligitur *arundo*, per Synecd. Generis pro Specie; denique per *arundinem* intelligitur *fiſtula* facta ex arundine, per Synecd. Partis Eſſentialis, quâ ponitur Materia pro Materiato ſeu Compoſito. Item in *Virgiliano* illo, *Labitur uncta vadis abies.* Nam primò per *abietem* intellexit Poeta *tabellas abiegnas*, per Synecd. Partis Eſſentialis, quâ ponitur Materia pro Materiato: deinde per *tabellas abiegnas* intellexit *navem* ex iſtis tabellis *fabrefactam*, per eandem Synecdochen. Item in illo *Horatii* ad *Mæcenatem*, l. 1. Od. 20. *Prælo domi-*

domitam Caleno Tu bibes uvam: mea nec Falernæ Temperant vites, neque Formiani Pocula colles. Nam primò *Uva* ponitur pro *Uvis* per Synecd. Partis Integralis, quâ Numerus ſingularis ponitur pro plurali; deinde *Uvæ* ponuntur pro *Uvarum ſucco* per Synecd. Totius Integralis; tandem *Uvarum ſuccus* ponitur pro *vino* ex ſucco uvarum confecto per Synecd. Materiæ pro Materiato. Productior eſt Metalepſis cum ibidem *vites* ponuntur pro *vino*. Nam primò *vites* ponuntur pro *uvis* per Metonymiam Efficientis; deinde *uvæ* ponuntur pro *ſucco*, &c. ut prius. Adhuc productior eſt Metalepſis cum *Colles* ponuntur pro *vino*. Nam primò *colles* ponuntur pro *vitibus* per Metonymiam Efficientis; deinde *vites* ponuntur pro *uvis*, &c. ut prius.

In Synecdoche Totius Integralis. Ut cum dixit *Virg. Ingens à vertice Pontus in puppim ferit.* Nam primò per *Pontum Nerei & Doridis* filium intellexit *mare Ponticum* (i. e. illam maris partem cui nomen dedit iſte *Pontus*) per Metonymiam Efficientis Principalis; tum per *mare Ponticum* intellexit indefinitè *univerſum mare* per Synecd. Individui; tum per *mare univerſum* intellexit maris fluctum per Synecd. Totius Integralis.

In Synecdoche Partis Integralis. Ut in illo *Ovidii*, *Suffundens ora rubore.* Nam primò per *Ora* Poeta intellexit *os*; per Synecd. Totius

Integra-

Integralis, quâ ponitur Numerus Plural. pro Singul. tum per *Os* faciei partem intellexit integram *faciem* per Synec. Partis Integralis.

In Metonymiâ Efficientis Principalis. Ut cum dixit *Cicero*, *In fortunas hujus invaſerunt.* Nam primò per *Fortunas* intellexit *Fortunam* per Synecd. Totius Integralis, quâ Numerus Pluralis ponitur pro Singulari: tum per *Fortunam* intellexit *Fortunæ dona*, ſc. opes, bona, per Metonym. Efficientis Principalis.

In Metonymiâ Efficientis Inſtrumentalis. Ut cum dixit *Virg. Ferro averte dolorem.* Nam primò per *ferrum* intelligitur *gladius* per Synecd. Partis Eſſentialis, ſeu Materiæ pro Materiato: deinde per *gladium* intelligitur *mors* per Metonymiam Efficientis Inſtrumentalis pro Effecto; ac ſi dixiſſet, *Morte dolorem averte.*

In Metonymiâ Effecti. Ut in illo *Virgilii*, *Sed pater omnipotens ſpeluncis abdidit atris.* Nam primò per *ſpeluncas atras* intellexit *tenebroſas* per Metaphoram: deinde per *ſpeluncas tenebroſas* intellexit *profundas*, per Metonymiam Effecti. Quippe in *ſpeluncis* tenebrarum cauſa eſt profunditas.

In Metonymiâ Finis. Ut in illo *Terentii Adelph.* 2. 3. *Illi opera vita erat.* Nam primò ponitur *vita* pro *victu*, per Metonym. Finis pro Medio; deinde victus ponitur pro ratione ſeu medio parandi victus, per eandem Metonym. Ideo enim operabatur ut victum pararet, & ideo victum

victum parabat, ut eſſet ei unde viveret.

In Metonymiâ Subjecti. Ut cum dixit *Virg. Invadunt urbem ſomno vinoque ſepultam.* Nam primò per *Urbem* intellexit *Trojam* per Synecd. Speciei pro Individuo. Deinde per *Trojam* intellexit *Trojanos*, per Meton. Subjecti. Sic cum dicitur à *Virgilio*, *Seges bis ſolem ſenſiſſe*, primò per *Solem* intelligitur *Calor*, qui à ſole efficitur per Meton. Efficientis; tum per *Calorem* intelligitur *æſtas* per Meton. Subjecti.

In Metonymiâ Adjuncti. Ut cum dixit *Silius*, *Advolat aurato præfulgens murice ductor.* Nam primò per *Muricem* intelligitur *Oſtrum* muricis ſuccus, per Synec. Totius Integralis; tum per *oſtrum* intelligitur *purpureus oſtri color*, per Meton. Subjecti; tandem per *purpureum colorem* intelligitur *amictus coloris purpurei* per Meton. Adjunct. Eadem (ſed uno gradu brevior) eſt Metalepſis in illo *Virgilii*, cum poſuit *Oſtrum* pro *purpureo tori velamento*, ſive *inſtramine*, dicens, *Stratoque ſuper diſcumbitur oſtro.* Item cum apud eundem *purpura regum* ponitur ad ſignificandum regiam authoritatem. Nam primò *purpura*, i. e. *murex* ponitur pro *oſtro*, & *oſtrum* pro *purpureo colore* per Synecd. Totius Integralis, & Meton. Subjecti, ut ſupra: tum *color purpureus* ponitur pro *amictu coloris purpurei* per Meton. Adjuncti; denique amictus purpurei coloris, qui Regum eſt inſigne, ponitur pro *Authoritate Regiâ*, cujus inſigne ſive

ſignum

ſignum, eſt, iterum per Metonymiam Adjuncti.

In Metaphorâ. Ut in illo *Virgilii*, *Immenſaſque trahi nubes, jamque arbore ſummâ Conſluere, & lentis uvam demittere ramis.* Nam primò per *Nubes* intellexit *Nubem*, per Synecd. Totius Integralis, ſive Numeri Pluralis pro Singulari: deinde per *nubem* intellexit *apum examen*, (quod inſtar *nubis*, in aere penderet, lucemque obſcuraret) per Metaphoram. Similiter (in eodem loco) per *Uvam* intellexit primò *racemum* per Synecd. Partis Integralis; tum per *racemum* intellexit *apum examen* (quod de arboris ramo in morem racemi penderet) per Metaphoram. Item in illo *Quintiliani*, cum ab eo dicitur *Iſocrates* eſſe omnes *dicendi Veneres ſectatus.* Nam primò per *Venerem* intelligenda eſt *venuſtas* per Meton. Efficientis Principalis: tum per venuſtatem, quæ propriè eſt formæ vel vultûs intelligenda eſt *dicendi gratia* & ſuavitas, per Metaphoram: quippe dicendi gratia id eſt orationi, quod venuſtas faciei. Sic cum de *apibus* dixit *Virgil.* (4. Georg.) *Sub terrâ fodere larem.* Primò enim poſuit *larem* pro *domo* per Meton. Subjecti; deinde *domus* dicitur de *cavernis apum*, per Metaphoram.

Tandem in *Ironiâ.* Ut in illo *Ciceronis* ad *Clodium*, *Integritas tua te purgavit.* Nam hic primò per *Integritatem*, quæ propriè eſt corporis affectio, intelligitur *morum rectitudo*, per

Meta-

Metaphoram ; tum per *morum rectitudinem*, quæ affimatur, intelligitur *morum corruptio* per Ironiam à Contrario. Sic cum idem dixit in *Verrem*, *Sunt hæc, & alia in te falſi accuſatoris ſigna permulta, quibus ego non utor*, in eo quòd poſuit *utor* pro *commemoro*, eſt Synecd. Generis pro Specie ; in eo autem quòd dixit ſe *non uti* iis ſignis, quibus nihilominus *utitur* (i. e. quæ commemorat & urget) eſt Ironia à Contradicentibus. Sic cum apud *Plaut.* dicenti *Trachalioni*, *Ita enimvero ſtultus es ?* reſpondet *Gripus*, *Salve Thales*. Nam primò *Thales* ponitur pro *Sapiente* per Synecd. Individui ; tum verò *ſapiens* ponitur pro *ſtulto*, per Ironiam à Contrario. Sic cum apud *Virgil.* (Æn. 1.) *Nimboſus Orion* dicitur tuliſſe Trojanos *in vada cæca*. Nam primò per *cæca* intelliguntur *videntia* per Ironiam à Privantibus ; deinde per *videntia* intelliguntur *viſa* per Ironiam à Relatis ; tandem per *viſa* intelliguntur *non viſa* per Ironiam à Contradicentibus. Eadem, ſed uno ſaltem gradu productior, eſt Metalepſis, cum apud eundem (*Æn.* 4.) dicitur *Dido cæco carpi igne*. Nam primò *cæcus* ponitur pro *videns*, per Iron. à Privantibus ; deinde *videns* ponitur pro *viſus*, per Ironiam à Relatis ; tum *viſus* ponitur pro *cognitus*, per Synecd. Speciei pro Genere (eſt enim viſio una Species cognationis ; niſi quis malit hanc loquendi formam referre ad Metaphoram) denique *cognitus* ponitur pro

non

non cognitus, per Ironiam à Contradicentibus.

CAPUT XX.

De Allegoria.

Quid eſt Allegoria?

Allegoria eſt Tropi ejuſdem per plures voces continuatio.

Ut in illo *Ciceronis* pro *M. Cælio*. *Quoniam emerſiſſe jam è vadis, & ſcopulos prætervecta videtur oratio mea, perfacilis mihi reliquus curſus eſtenditur.* Nam hîc idem Tropus, ſc. Metaphora continuatur per quinque voces, ſc. *emerſiſſe*, *ſcopulos*, *vadis*, *prætervecta*, & *curſus*, in quibus orationis ſuæ progreſſum curſui navis per mare comparat. Sic *Horatius* Allegoricè dixit, *Contrahes vento nimium ſecundo turgida vela*, i. e. Non te nimiùm rebus proſperis efferes.

Dicitur Ἀλληγορία *Allegória*, ab ἀλληγορέω (compoſito ab ἄλλο *aliud*, & ἀγορέω (quod in compoſitione ponitur pro ἀγορεύω) *dico*) quòd, propter Tropi per plures voces continuationem, *aliud dici* videtur, cum aliud verè intelligatur.

N *Reperitur Allegoria ferè in omni Troporum genere.*

In Synecdoche Speciei pro Individuo. Ut apud *Ciceron.* Catil. 1. *Exire ex urbe conſul hoſtem jubet,*

bet, i. e. *Cicero* jubet *Catilinam* exire ex *Româ*, ubi continuata per tres illas voces [*consul*, *hostem*, *urbe*] Synecd. Speciei pro Individuo Allegoriam facit.

In Synecdoche Individui pro Specie. Ut, *Sint Mæcenates, non deerunt Flacce Marones, Virgiliumque tibi, vel tua rura dabunt.* Ubi continuata per tres illas voces [*Mæcenates*, *Marones*, *Virgilium*] Synecdoche Individui pro Specie (nam per *Mæcenates* intelliguntur doctorum virorum patroni; per *Marones* viri docti, & per *Virgilium* Poeta) Allegoriam facit.

In Synecdoche Partis Essentialis. Ut apud *Cic.* 2. leg. *Æs & ferrum duelli insignia sunt, non fani.* Ubi continuata per illas duas voces [*æs* & *ferrum*] Synecdoche Materiæ pro Materiato (nam *æs* ponitur pro *armis æreis*, & *ferrum* pro *ferreis*) Allegoriam facit.

In Synecdoche Totius Integralis. Ut apud *Cic. Nos populo imposuimus, & oratores visi sumus.* Ubi continuata per illas quatuor voces [*nos*, *imposuimus*, *oratores*, *visi sumus*] Synecdoche Numeri Pluralis pro Singulari, Allegoriam facit.

In Metonymiâ Efficientis. Ut, *Sine Cerere & Libero friget Venus.* Ubi continuata per tres illas voces [*Cerere*, *Libero*, & *Venus*] Metonymia Efficientis (nam ex *Cerere* intelligitur panis, ex *Libero* vinum, ex *Venere* amor) Allegoriam facit.

In Metonymiâ Effecti. Ut *Virg.* 6. Æn. *Pallenteſq; habitant morbi, triſtiſq; ſenectus.* Nam continuata per voces illas [*pallentes morbi, triſtiſque ſenectus*] Metonymia Effecti (*pallentes* enim dicuntur *morbi* quòd efficiant *pallidos*, & *ſenectus triſtis*, quòd efficiat *triſtes*) Allegoriam facit.

In Metonymiâ Subjecti. Ut in illo *Ciceronis* pro *Pomp.* *Teſtis eſt Italia, quam ille ipſe, victo L. Syllâ hujus virtute & conſilio, confeſſus eſt fuiſſe liberatam: teſtis eſt Sicilia—; teſtis eſt Africa—; teſtis eſt Gallia—; teſtis eſt Hiſpania—:* Ubi per *Italiam*, *Siciliam*, *Africam*, *Galliam*, atque *Hiſpaniam* intelliguntur homines Itali, Siculi, Africani, Galli, Hiſpanique, per Meton. Subjecti. Et continuata hæc per tot voces Metonymia Allegoriam facit.

In Metonymiâ Adjuncti. Ut apud *Ciceron.* in Catil. 2. *Æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes certant cum iniquitate, cum luxuriâ, cum ignaviâ, cum temeritate, cum vitiis omnibus.* Ubi viri æqui, temperantes, fortes, prudentes, virtuoſi ſignificantur certare cum viris iniquis, luxurioſis, ignavis, temerariis, vitioſis per Meton. Adjuncti. Et continuata hæc per tot voces Metonymia Allegoriam facit.

In Metaphorâ. Ut in illo *Horatii* l. 1. Od. 14. *O navis referent in mare te novi fluctus!* O quid agis? *fortiter occupa portum. Nonne vides ut*

nudum

nudum remigio latus, & malus celeri saucius Africo Antennæq; gemant, &c. Ubi continuata per singulas ferè voces Metaphora Allegoriam facit.

In Ironiâ. Ut in illo *Ciceronis* in *Clodium*, *Integritas tua te purgavit, mihi crede, pudor cripuit, vita anteacta servavit.* Ubi continuata per membra tria Ironia Allegoriam facit. Item in illo èjusdem pro *Cluent. Mitto illam primam libidinis injuriam, mitto nefarias generi nuptias, mitto cupiditate matris expulsam matrimonio filiam.*

N. *In Allegoriis, quo ex rerum genere cœperis, in eodem desinendum est. Nec est temerè à* fontibus *ad* incendia *transeundum.*

Allegoria aliquando *pura* est, nihilque proprii sibi intermixtum habet. Qualis illa *Horatii* l. 1. Od. 14. *O navis referent in mare te novi fluctus? O quid agis? fortiter occupa portum*, &c. per totam Oden. Aliquando Allegoria est *mixta*, habetque aliquid proprii sibi intermixtum, quo sententiæ lux adveniat. Talis est illa *Ciceronis* in *Pison. Neque tam fui timidus, ut qui in maximis turbinibus ac fluctibus Reipublicæ navem gubernâssem, salvamque in portu collocâssem, frontis tuæ nubeculam, aut collegæ tui contaminatum spiritum pertimescerem. Alios ego vidi ventos, alias animo prospexi procellas, aliis impendentibus periculis non cessi.* Ubi

voces illæ *Reipublicæ frontis, collegæ*, tollunt de ſententiâ obſcuritatem.

De Ænigmate.

Allegoriæ Species habetur *Ænigma*. Eſt autem *Ænigma* oratio quâ dicentis ſenſus verbis obſcurioribus, iiſque plurimùm Allegoriciis obſcuratur.

Ut, *Filiolas Cadmi profert Nilotis arundo,*
Quas ſerit è Cnidio diſtillans ſepia nodo.
i. e. Penna Ægyptiaca literas Græcas formavit, quas atramentum ex amatoris calamo diſtillans, & lineis ducens quaſi ſulcis ſeruit.

Dicitur Αἴνιγμα *Ænigma*, ab *αἰνίσσομαι obſcurè ſignifico*; quia Ænigma omne ſignificat quidem aliquid, ſed tamen ita obſcurè, ut intellectu diſficile ſit.

Plura Ænigmatum exempla videat qui volet in *Voſſii Inſtitut. Orat. l.4. c.11. p.202.* &c. Et in eleganti Anglicano Tractatu de Rhetoricâ à *Johanne Smith* generoſo haud ita pridem edito; cui Titulus, *The Myſtery of Rhetorick Unveil'd*, p. 73, 74.

Et hactenus de *Tropologiâ* dictum eſt, deinceps erit de *Schematologiâ* dicendum.

Tropoſchematologiæ Rhetoricæ

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Schema ſive Figura, quid & quotuplex.

Quid eſt Schema ſive Figura?

Schema ſive Figura eſt ornatior ſimplici conſuetudine loquendi modus.

Vel, Schema ſive Figura eſt ornatus dicendi modus, in quo præter illud ornamenti, quod orationi ex Tropis oritur, aliquid etiam ex ipsâ verborum & ſententiarum formâ à rectâ & ſimplici conſuetudine in meliorem immutatâ, accedit.

Dicitur Σχῆμα *Schema*, à σχέω *habeo*, quòd Schema, ſive Figura ſit quidam orationis *habitus*, quo, pro variâ rerum de quibus agitur conditione, induitur, quaſique amictu aliquo veſtitur.

Quot ſunt Schematum ſive Figurarum Genera?

Schematum ſive Figurarum genera (quantum ad præſens inſtitutum ſpectat) duo ſunt, ſcilicet *dictionis*, vel *ſententiæ*.

Quid eſt Figura Dictionis?

Figura dictionis eſt ornata dicendi forma, quâ ex dictionum in ſententiâ defectu, vel redundantiâ, contractione vel diſtractione, repetitione vel conjunctione, tranſpoſitione, vel qualicunque in parte aliquâ ſui transformatione, aliquis orationi ornatus accedit.

Quid ſit Figura Sententiæ, & quomodo differat à Figura Dictionis, *vide infra Cap.* 13.

CAPUT II.

De Figuris ex vocum defectu.

Quot ſunt Figuræ ex vocum defectu?

Figuræ Dictionis ex *defectu* vocum duæ ſunt, Ellipſis & Aſyndeton.

De Ellipſi.

Quid eſt Ellipſis?

Ellipſis eſt vocum (unius vel plurium) in aliquâ orationis clauſulâ ad ſenſum ejus complendum neceſſariarum defectus.

Ut in illo *Virgilii* Ecl. 9. *Quò te Mœri pedes? an (quò via ducit) in urbem?* Ubi in priore

priore ſententiæ clauſulâ deeſt verbum *ferunt*; in poſteriore voces *te ferunt pedes.*

Dicitur Ἔλλειψις *Ellipſis*, ab ἐλλείπω *deficio*, ut quæ alicujus, quod in oratione deſit, *defectum* ſignet.

N. *Inſervit hæc Figura* admirationi: *ut* Virg. 1. Æn. Sed vos qui tandem? *item* indignationi; *ut* Ter. And. 1. 5. Tantámne rem tam negligenter agier!

De Aſyndeto.

Quid eſt Aſyndeton?

Aſyndeton eſt conjunctionis inter plures ejuſdem ſententiæ clauſulas defectus.

Ut, *Ter.* Ad. 3.4. *Perſuaſit nox, amor, vinum, adoleſcentia*, ib. *Venit ipſus ultro lacrymans, orans, obſecrans, fidem dans, Jurans ſe illam ducturum domum.*

Cic. pro M. Marc. *Et certè in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia ſociorum, claſſes commeatus, multùm juvant.*

Dicitur Ἀσύνδετον *Aſyndeton*, ab α privativo, & συνδετὸν *colligatum* (à συν *con*, & δέω *ligo*) quòd orationis membra non eſſe copulativis particulis inter ſe conjuncta, & quaſi colligata deſignet.

Alio nomine dicitur Διάλυτον *Dialyton.*

N. *Valet hæc Figura ad* celeritatem; *ut* Virg. 4 Æn. Ferte citi flammas, date vela, impellite remos. *Et ad* gravitatem; *ut* Ter. *Ad.* 3.4. Tot res repentè circumvallant, unde emergi non poteſt, vis, egeſtas, injuſtitia,

ſolitudo, infamia, *ib.* Tibi ſi iſtuc placet, profundat, perdat, pereat, nihil ad me attinet.

CAPUT III.

De Figuris Dictionis ex vocum redundantiâ.

Quot ſunt Figuræ dictionis ex vocum redundantiâ?

Figuræ dictionis ex vocum redundantiâ duæ ſunt, Pleonaſmus, & Polyſyndeton.

De Pleonaſmo.

Quid eſt Pleonaſmus?

Pleonaſmus eſt vocum (unius vel plurium) in aliquâ ſententiæ clauſulâ non neceſſariarum redundantia.

Ut cum dicitur *hiſce oculis vidi.* Quid enim neceſſe erat addi *hiſce oculis?*

Dicitur Πλεονασμὸς *Pleonaſmus*, à πλεονάζω *redundo*, quod aliquid in oratione *redundare* ſignificet.

N. *Facit hæc Figura ad* Emphaſin; *ut* vocemq; his auribus hauſi. *Ad* exaggerandum; *ut in illo*, Ubinam gentium eſt? *Et ad* extenuandum; *ut*, Accipe parvum hoc munuſculum.

De Polyſyndeto.

Quid eſt Polyſyndeton?

Polyſyndeton eſt conjunctionum inter ſingulas ſententiæ ejuſdem clauſulas redundantia.

Ut *Cic. Me præ cæteris & colit, & obſervat, & diligit.*

diligit. Sen. Med. *Heic mare & terras vides, ferrumq; & ignes, & deos, & fulmina.*

Dicitur Πολυσύνδετον *Polyſyndeton*, à πολὺ *multùm*, & σύνδετον *colligatum*, quod orationis membra multis inter ſe particulis copulativis eſſe colligata indicet.

N. *Conducit hæc Figura ad orationis* gravitatem; *ut* Liv. *l.8. dec.3. Et* ſomnus, *&* vinum, *&* epulæ, *&* ſcorta, *&* balneæ, corpora atq; animos enervant.

Item *Cic. 6. ver. Neq; privati quicquam, neq; publici, neq; profani*, neq; *ſacri* in *Siciliâ reliquiſſe*

CAPUT IV.

De Figuris in vocum Contractione.

Quod ſunt Figuræ Dictionis in vocum Contractione?

Figuræ dictionis in vocum *contractione* duæ ſunt, Synæreſis & Hyphen.

De Synæreſi.

Quid eſt Synæreſis?

Synæreſis eſt duarum in eâdem voce ſyllabarum in unam contractio.

Ut *Virgil.* Ecl. 8. *Uno eodemque igni; Sic noſtro Daphnis amore.* Item in *Georg. Seu lento fuerint alvearia vimine texta.*

Dicitur Συναίρεσις *Synæreſis*, à συναιρέω (compoſito à σὺν *una* ſive *ſimul*, & αἱρέω *capio*) *in unum contraho*, quod hâc figurâ duæ ſeorſim aliâs dicendæ ſyllabæ, in unam conjunctè proferendam contrahantur.

De

De Hyphene.

Quid eſt Hyphen?

Hyphen eſt duarum integrarum vocum in quaſi-unam contractio, lineolâ brevi inter coaleſcentes voces ductâ.

Ut *Virg.* 1. Æn. *Neque enim ignari ſumus antè-malorum.* Hor. l. 3. Od. 24. *Clarus poſt-genitis.* *Pluat.* Truc. 1. 1. *Unde ante-parta demus poſt-partoribus.* *Propert.* l. 3. El. 16. *Per mediam bene-olenti flumine Naxon.* Senec. Thyeſt. 1. 1. *Quis male-deorum Tantalo vivas domos Oſtendit iterum.* Ter. And. 1. 2. *Heri ſemper-lenitas.*

Dicitur Τρὶν *Hyphen*, ab ὑπὸ *in*, & ἓν *unum*, quod hâc figurâ duæ integræ voces quaſi in unam coeant.

CAPUT V.

De Figuris in vocum Diſtractione.

Quot ſunt Figuræ dictionis in vocum diſtractione?

Figuræ dictionis in vocum *diſtractione* ſunt tres, Diæreſis, Tmeſis, & Hendiadys.

Quid eſt Diæreſis?

Diæreſis eſt ſyllabæ unius in duas diſtractio.

Ut *Ovid. Debuerant fuſos evoluiſſe ſuos.* Sic *Catul. Stamina non ulli perſolvenda deo.*

Dici-

Dicitur Διαίρεσις *Diæresis*, à διαιρέω *divido*, quod unam syllabam in duas quasi divellat ac *dividat*.

De Tmesi.

Quid est Tmesis?

Tmesis est partium vocis compositæ, dictionis unius vel plurium interpositione, diductio.

Ut, *Quæ me cunq; vocat terræ. Rem* verò *publicam. Quæ causa* antè *mortua est*, quàm *tu natus esses.* Cic.

Dicitur Τμῆσις *Tmesis*, à τέμνω *seco*, quod unam ex duabus compositum priùs dictionem, in suas denuo partes, vocis unius pluriumve interventione, quasi *secet*, ac *distribuat*.

N. *Facit hæc figura ad* elegantiorem orationis compositionem.

De Hendiadys.

Quid est Hendiadys?

Hendiadys est figura, quâ res una per duo verba cum interposita conjunctione dicitur.

Ut *Virg. Cum canerem reges ac prælia*, pro *regum prælia*. Id. *Maculis insignes & albo*; pro *maculis albis* insignis.

N. *Hujus Figuræ duo sunt modi.*

Alter est, quo duo Substantiva diversorum casuum, quorum prior est Genitivus possessionis, dissolvuntur in substantiva duo ejusdem casûs cum interpositâ conjunctione.

Ut *Virg. In partem prædamq;* pro *in prædæ partem.*

partem. Id. *Molemque & montes insuper altos imposuit*, pro *molem altorum montium.*

Alter est, unius Substantivi cum Adjectivo sibi adjuncto in Substantiva duo dissolutio. Ut, *Chalybem frænosq; momordit*, pro *chalybeos frænos. Pateris libamus & auro*, pro *pateris aureis. Annulum aurumque gesto*, pro *annulum aureum.*

Dicitur *Hendiadys* ab ἓν *unum*, διὰ *per*, & δύο *duo*, quod sit figura, quâ per *duo verba* dicimus *rem unam.*

CAPUT VI.

De Figuris in repetitione vocum earundem.

Quot modis dicuntur voces esse eædem?

Voces dicuntur esse *eædem* tribus modis; nempe *sensu* & *sono*; ut, cum dicitur, *Homo homini* deus; *sono, sed non sensu*; ut, *Venium* nomen, & *Veniam* verbum: *sensu* deniq; *sed non sono*: ut, *Ensis* & *gladius.*

Quot modis repetuntur voces tam sensu quàm sono *eædem?*

Voces eædem *quà sensu quà sono*, repetuntur dupliciter, vel *continuè* vel *disjunctè.*

Quot sunt Figuræ in quibus est continua vocum sensu sonoque earundem repetitio?

Figuræ

Figuræ in quibus continua eſt vocum ſenſu ſonoq; earundem repetitio, quatuor ſunt, *Epizeuxis*, *Polyptoton*, *Anadiploſis*, & *Climax*.

N. *Non inopiâ verborum fit, ut ad idem verbum redeatur ſæpius: ſed ineſt feſtivitas quædam, quæ facilius auribus adjudicari, quàm verbis demonſtrari poteſt.* Cic. l. 4. ad Herenn.

De Epizeuxi.

Quid eſt Epizeuxis?

Epizeuxis eſt Figura, quâ vox ſono & ſenſu eadem repetitur in eâdem ſententiâ ſine ullâ caſuum variatione.

Dicitur Ἐπίζευξις *Epizeuxis*, ab ἐπὶ *ad*, & ζευγνύω *jungo*, quod eandem vocem ſibi ipſi novâ ejuſdem repetitione quaſi *adjungat*.

N. *Facit hæc figura ad* vehementiam; *tum præcipuè uſurpanda, cum dicendum aliquid eſt vel Emphaticè, vel Patheticè.*

Ut *Cic.* pro Rab poſth. *Vos, vos inquam & ſenatus frequens reſtitit.* Senec. in Med. *Da, da per auras curribus patris vehi.*

Aliquando *plures ſimul voces* repetuntur, ut Cic. Phil. 4. *Non eſt, non eſt vobis Quirites, cum eo hoſte certamen, cum quo aliqua pacis poſſit eſſe conditio.* Ovid. Heroid. *Si, niſi quæ facie poterit te digna videri, Nulla futura tua eſt, Nulla futura eſt.*

Aliquando Epizeuxi interponitur *vocula* aliqua una. Ut *Cic. Vidi* enim, *vidi, penituſque perſpexi. Senec. Medea. ac.* 4. *Majus* his, *majus parat Medea monſtrum.* Ali-

Aliquando etiam *Parentheſis*, ut Cic. pro Dom. *Sed excitatus aliquando* (dicam audiente ipſo quod ſenſi & ſentio) *excitatus inquam aliquando Cn. Pompeii nimium reconditus, & penitus abſtruſus dolor*— Id. Phil. 2. *Haſtâ poſitâ pro æde Jovis Statoris, bona* (miſerum me! conſumtis enim lacrymis, tamen infixus animo hæret dolor) *bona inquam Cn. Pompeii Magni voci acerbiſſimæ ſubjecta præconis.*

Aliquando etiam *clauſula* duobus commatibus tanquam Parentheſi incluſa. Ut *Virg.* Ecl. 9. *Hic*, ubi denſas agricolæ ſtringunt frondes, *hic Mœri canamus.*

De Polyptoto.

Quid eſt Polyptoton?

Polyptoton eſt figura, quâ vox *ſono & ſenſu eadem* repetitur in eâdem ſententiâ, ſed *diverſo caſu.*

Ut Virg. Æn. 4.

Litora litoribus *contraria, fluctibus undas*
Imprecor arma armis.

Sic Ovid. Met. 8. l. ver. 384.

A ſylvis ſylvas *& ab* arvis arva *revulſi.*

Dicitur Πολύπτωτον *Polyptóton*, à πολὺς *multus*, & (inuſitato verbo) πτόω *cado*, quod ſit vocis ejuſdem pluribus ſuis variatæ *caſibus* repetitio.

N. Caſus *hîc omnem vocis variationem ratione generis, numeri, vel graduum, modorum, temporum, vel perſonarum comprehendit.*

Poteſt

Potest & Polyptoton esse in *diversis* ejusdem sententiæ *clausulis*. Ut *Cic. ver.* 7. Certus *locus*, certa *lex*, certum *tribunal*.

Facit hæc figura ad *venustatem*, ut in his eruditi cujusdam viri versiculis.

Cum *vanitas* sit *vanitatis* filia,
Et *vanitati vanitatem* procreet;
O *vanitas*, quid *vanitate vanius*!

Item ad *vehementiam*; ut *Cic.* pro Arch. *Sed* pleni *sunt omnes libri*, plenæ *sapientum voces*, plena *exemplorum vetustas*.

N. *Polyptoti & Epizeuxis discrimen apertum est: eandem utraq; vocem repetit, sed Epizeuxis casu eodem, Polyptoton diverso.*

De Anadiplosi.

Quid est Anadiplosis?

Anadiplosis est figura, quâ vox sono & sensu eadem *continuè* quidem, sed in *diversis sententiis* repetitur, nempe in *fine* præcedentis, & in *principio* subsequentis.

Ut Virg. Ecl. 10.

Pierides, vos hæc facietis maxima Gallo,
Gallo, *cujus amor tantùm mihi crescit in horas.*

Dicitur Ἀναδίπλωσις *Anadiplósis*, ab ἀνὰ *re* & διπλόω *duplico*, quòd sit vocis ejusdem, in *fine* præcedentis, & *principio* sequentis sententiæ positæ, adeoq; quasi in sese revertentis, *reduplicatio*.

Aliquando *in Anadiplósi est Polyptóton*, sive levis aliqua verbi casuum respectu immutatio:

Ut

Ut *Cic.* pro Roſc. *Injuriam novo ſcelere conflatam putant oportere* defendi: defendere *ipſi propter iniquitatem temporum non audent.*

N. *Hæc figura & ſuavitatem habet & Emphaſin: quin & acrimoniam, ſi quis in* corrigendo *eâ utatur. Vt* Cic. 1. Catil. Hic tamen *vivit. Vivit?* imo in ſenatum venit.

De Climace.

Quid eſt Climax?

Climax eſt Anadiploſeωs per plures gradus continuatio, ſcilicet cum ita ab uno ad aliud tranſimus, ut eodem verbo inferiora ſuperioribus connectamus.

Ut *Cic.* ad Heren. *Africano induſtria* virtutem, virtus gloriam, gloria *æmulos comparavit.*

Dicitur autem hæc figura Κλίμαξ *Climax*, quod κλίμακ☉, hoc eſt *Scalæ* quandam habeat repræſentationem, nempe quod ſicut per ſcalarum gradus ab imo ad ſummum aſcenditur; ita per ſæpius repetitarum vocum reduplicationes à primo ad poſtremum deveniatur.

In Climace *nonnunquam ſerviatur* idem vocis caſus. Ut *Cic.* ad Heren. *Quæ reliqua ſpes libertatis manet, ſi illis & quod libet* licet; *& quod* licet poſſunt; *& quod* poſſunt audent; *& quod* audent faciunt; *& quod* faciunt *vobis moleſtum non eſt?*

Nonnunquam variatur.

Ut *Scipio* African. apud *Iſidor.* l. 2. Orig. c. 21.

Ex

Ex innocentiâ naſcitur dignitas; *ex* dignitate honor; *ex* honore imperium; *ex* imperio *libertas.*

N. *Venuſta quidem eſt hæc figura, ſed variis adhibenda, nec niſi cum res ipſæ vel ſucceſſionem, vel gradus habent.*

CAPUT VII.

De Figuris in quibus eſt disjuncta vocum repetitio.

Quot ſunt figuræ in quibus eſt disjuncta vocum ſono & ſenſu earundem repetitio?

Figuræ in quibus eſt disjuncta repetitio vocum *ſono & ſenſu earundem* decem ſunt, Anaphora, Epiſtrophe, Symploce, Epanalepſis & Epanados, Meſophonia, Meſarchia, Meſoteleuton, Tautotes, & Epimone.

De Anaphora.

Quid eſt Anaphora?

Anaphora eſt figura, quâ vox ſono & ſenſu eadem in *principiis* ſententiarum diverſarum repetitur.

Ut Virg. Georg. 4.

Te *dulcis conjux*, te *ſolo in litore ſecum*,
Te *veniente die*, te *decedente canebat.*

Cic. pro Muren. Nihil *eſt incertius vulgo*, nihil *obſcurius voluntate hominum*, nihil *fallacius*

ratione totâ comitorum. Ter. Ad. 4. 2. Primus *ſentio mala noſtra*; primus *reſciſco omnia*; primus *porro obnuncio.*

Dicitur Ἀναφορὰ *Anaphora*, ab ἀνὰ *re* ſive *rurſus* & φέρω *fero*, quod eundem ſonum in diverſarum ſententiarum principiis *referat.*

N. *Anaphora aliquando eſt* plurium dictionum.

Ut Ovid. l. 2. de ponto El. 11.

Grande voco meritum *lacrymas quibus ore rigabas,*
Cum mea concreto ſicca dolore forent.
Grande voco meritum *mœſtæ ſolatia mentis,*
Cum pariter nobis illa tibiq; dares.

Elegans eſt Anaphoræ duplicatio, quum res invicem opponuntur.

Ut *Cic.* pro Roſc. Accuſant *ii qui in fortunas hujus invaſerunt*; cauſam dicit is, *cui præter calamitatem nihil reliquerunt.* Accuſant ii *quibus occidi patrem Sexti Roſcii bono fuit*; cauſam dicit is, *cui non modò luctum mors patris attulit, verùm etiam egeſtatem*, &c.

Claud. l. 1. de Rapt. Proſ.

Pariter pro virgine certant
Mars *clypeo melior*, Phœbus *præſtantior arcu:*
Mars *donat Rhodopen*, Phœbus *largitur Amyclas.*

Magnopere inſervit hæc Figura *Affectibus.*

Sive in *inſectando*: ut *Cic. Cat.* 1. Nihil *te nocturnum præſidium palatii*, nihil *urbis vigiliæ*, nihil *conſenſus bonorum omnium*, nihil *hic munitiſſimus*

tissimus habendi senatus locus, nihil *horum ora vultusq; moverunt?*

Sive in *laudando*: ut *Juvenal.* Sat. 2.

Roma *parentem*, Roma *patrem patriæ Ciceronem libera dixit.*

Sive in *beneficiis agnoscendis*: ut *Virg.* 1. Æn.

Tu *mihi quodcunq; hoc regni*, tu *sceptra*, *Jovemq; Concilias*, tu *das epulis accumbere divûm.*

De Epistrophe.

Quid est Epistrophe?

Epistrophe est figura, quâ vox sono & sensu eadem in diversarum sententiarum clausulis repetitur.

Ut, *Frumenti maximus numerus* è Galliâ; *peditatus amplissimæ copiæ* è Galliâ; *equites numero plurimi* è Galliâ. Sic Cic. Phil. 2. *Doletis tres exercitus populi Romani esse interfectos? interfecit* Antonius. *Desideratis clarissimos cives? Eos quoque eripuit* Antonius. *Authoritas hujus ordinis afflicta est? afflixit* Antonius.

Dicitur Ἐπιστροφὴ *Epistrophe*, ab ἐπὶ *ad* & στρέφω *verto*, quod plures sententiæ *ad* eundem in omnium fine sonum quasi *vertuntur.*

Vocatur hæc figura etiam Ἐπιφορά.

N. *Epistrophes eadem vis est, quæ Anaphoræ.*

De Symploce.

Quid est Symploce?

Symploce est Anaphoræ cum Epistrophe concursus.

Ut in illo *Cic.* Agr. 1. Quis *legem tulit?* Rullus. Quis *majorem populi partem ſuffragiis privavit?* Rullus. Quis *comitiis præfuit?* Rullus.

Inſtituitur hæc figura plerumque per *Interrogationem*,

Dicitur Συμπλοκὴ *Symploce*, à συμπλέκω *complico*, quod duarum ſit figurarum, Anaphoræ nempe cum Epiſtrophe quædam inter ſe quaſi *complicatio*.

N. *Valet Symploce in* exaggerandis virtutibus ac vitiis: *efficitque orationem, non* venuſtam *tantùm, ſed & vehementem, ſed à nimio frequenti ejus uſu temperandum, ne faſtidium pariat.*

De Epanalepſi.

Epanalepſis eſt figura, quâ vox ſono & ſenſu eadem in principio præcedentis ſententiæ poſita, in fine ſubſequentis repetitur.

N. *Quandoq;* plures voces *ſic repetuntur.*

Ut Virg. Æn. 1.

Multa *ſuper Priamo rogitans, ſuper Hectore* multa.

Martial. l. 1. Ep. 33.

Non amo te, *Sabidi, nec poſſum dicere quare:*
Hoc tantum poſſum dicere non amo te.

Petron. Afran.

Balnea, vina, Venus *corrumpunt corpora noſtra:*
Et vitam faciunt balnea, vina, Venus.

Cic. pro Mil. Negat *enim* ſe, *negat ingratis civibus feciſſe, quæ* fecit; *timidis, & omnia circumſpicientibus pericula* non negat.

Dicitur

Dicitur Ἐπανάληψις *Epanalépsis*, ab ἐπὶ *post* & ἀνάληψις *resumptio*, quod vocem in principio præcedentis sententiæ positam *postea* in fine subsequentis repetendo quasi *resumat*.

De Epanado.

Quid est Epanados?

Epanados est figura, quâ duæ voces in præcedente sententiâ positæ in subsequente repetuntur, sono quidem & sensu eodem, sed ordine inverso, ita ut prior posterioris locum occupet, & posterior prioris.

Ut *Cic.* in Off. *Ornanda est* dignitas domo, *non ex* domo dignitas *tota quærenda*.

Virg. Ecl. 8.

Crudelis mater magis, *an puer improbus ille?*
Improbus ille puer, crudelis tu quoq; *mater*.

Plura vide infra in *Antimeratheſi*.

N. *Conjunctum sæpius est cum Epanodo Polyptóton, commutantibus inter se inversis dictionibus, non tantùm locum, sed etiam casum.*

Ut *Velleius*. Paterc. *Syriam* pauper divitem *ingressus*, dives pauperem *reliquit*. *Cic.* ad Heren.

Esse oportet *ut vivas*, non *vivere* ut *edas*.

Cic. Off. *Non* domo dominus, *sed* domino domus *honestanda est*.

Imo fit aliquando ut non invertantur repetitæ *dictiones*, sed tantùm dictionum illarum *casus*. Ut *Ovid. Met. l.* 13. *f.* 1.

Atq; *Ajax armis*, non *Ajaci arma* petuntur.

Hoc cum fit, dicitur *Umbra Epanodi*, ſeu imperfecta Epanodos. Vide plura in *Antimeratheſi*.

Dicitur Ἐπάνοδος *Epánodos*, ab ἐπὶ *ad*, ἀνὰ *rurſus*, & ὁδὸς *via*, ſeu *iter*, quod ſit reditio, ſive regreſſio in poſteriore ſententiâ per verborum inverſionem, ad eundem vocis ſonum, qui erat poſitus in priore.

N. *Huc referri poteſt ea dicendi forma,* (Epanodos *item dicta*) *quâ duo antecedentia habent duo ad ſe relata ſubſequentia, ita tamen ſita, ut illud è duobus ſubſequentibus, quod ad poſterius antecedentium refertur, priori loco ponatur, poſteriori verò illud, quod refertur ad prius.*

Ut *Matthæi* 12. 22. *Qui* cæcus *ac* mutus *fuerat*, *&* loquebatur, *&* videbat; i. e. mutus loquebatur, cæcus videbat. Sic *Matth.* 7. 6. *Ne date quod ſanctum eſt* canibus, *nec projicite margaritas veſtras coram* porcis, *nequando* conculcent *eas pedibus ſuis*, *&* *converſi* lacerent *vos*, i. e. ne porci *conculcent*, canes *lacerent*.

Etiam *reditus ad rem* poſt digreſſionem, à quibuſdam Epanodos dicitur.

De Meſophonia, ſeu mediânâ Repetitione.

Quid eſt Meſophonia?

Meſophónia eſt figura, quâ vox ſono & ſenſu eadem in medio duarum ſententiarum ſibi invicem reſpondentium repetitur.

Ut Senec. Thyeſt. ac. 3.

Quem *dies vidit veniens* ſuperbum
Hunc *dies vidit fugiens* jacentem.

Id.

Id. in Medea. ac. 1. Chor.

Conceſſo, *Juvenes*, ludite jurgio,
Hinc, illinc, *Juvenes*, mittite carmina.

Mart. l. 1. Ep. 33.

Non amo te, *Sabidi*, *nec* poſſum dicere *quare*,
Hoc tantùm poſſum dicere *non amo te*.

Dicitur Μεσοφωνία *Meſophónia*, à μέσον *Medium*, & φωνέω *ſonum edo*, quod hâc figurâ idem *ſonus* in diverſarum ſententiarum *medio* edatur.

Hanc figuram *Voſſius* vocat *Medianam Repetitionem*: nobis arridet magis derivata è font e Græco denominatio.

De Meſarchia.

Quid eſt Meſarchia?

Meſárchia eſt figura, quâ vox ſono & ſenſu eadem in unius ſententiæ *medio* poſita, habetur in *principio* alterius; ſive præcedentis.

Ut Mart. l. 3. Ep. 88.

Utere lactucis, *&* mollibus *utere* malvis.

Id. l. 4. Ep. 13.

Tam bene *rara ſuo miſcentur cinnama nardo*:
Maſſica Theſeis tam bene *vina favis*.

Cic. pro *Marc.* Augeamus *ſuſpicionem tuam*, *ſimul enim* augebimus *& diligentiam*.

Senec. Med. a. 5.

Scelus *eſt Jaſon genitor*, & *majus* ſcelus
Medea mater.

Sive *ſubſequentis*; ut Sen. Med. a. 1. *Quæ* ſcelere *pacta eſt*, ſcelere *rumpatur fides*.

Ovid. Met. 13. l. 1. f.

Luce *nihil* gestum est, *nihil est* Diomede *remoto*.

Cic. pro *M. Mar.* *Arma* ab aliis *posita*, ab aliis *erepta sunt*.

Sive *utriusq;* ut Virg. 7. Æn.

Te *nemus Angitiæ*, *vitreâ* te *Fucinus undâ*,
Te *liquidi flevere lacus*.

Dicitur Μεσαρχία *Mesarchia*, à μέσον *medium*, & ἀρχὴ *principium*, quod sit figura, quâ *principio* respondet *medium*, *medioue* principium.

De Mesoteleuto.

Quid est Mesoteleuton?

Mesoteleuton est figura, quâ vox sono & sensu eadem in sententiæ unius medio posita, habetur in fine alterius.

Sive *Præcedentis*; ut Sen. Med. ac. 4.

Frænare nescit iras Medea, *non* amores.
Nunc ira amorq; *causam junxere*.

Martial. l. 3. Ep. 60.

Esse nihil dicis, *quicquid petis improbe* Cinna.
Si nil Cinna petis, *nil tibi* Cinna *nego*.

Cic. pro *M. Marc.* *Nostra enim* cautio, *tua* cautio *est*.

Sen. Here. Oetæ, v. 377.

Ubiq; caluit, *sed levi* caluit *face*.

Sive *Subsequentis*; ut Ovid. Met. l. 15.

Quod petis hinc propiore loco *Romane petisses*;
Et pete nunc propiore loco.

Sen. Med.

Virgini placeat pudor, *patrq; placeat*,

Cic.

Cic. in *Ver.* *Hæc navis onusta prædâ Siciliensi, cum ipsa quoque esset præda.*

Martial. li. 1. Ep. 34. *Ille dolet verè, qui sine teste dolet.*

Sive *utriusque*: ut *Sen. Med.* ac. 3.

Fugimus Jason, fugimus; hoc non est novum
Mutare sedem: causa fugiendi nova est;
Pro te solebam fugere.

Dicitur Μεσοτέλευτον *Mesoteleuton*, à μέσον *medium*, & τελευτὴ *finis*, quod hâc figurâ *medium* respondeat *fini*; finisve medio.

De Tautotete.

Quid est Tautotes?

Tautotes est figura, quâ vox una sono & sensu eadem pluribus, sed incertis locis, ejusdem vel plurium sententiarum repetitur.

Ut *Plaut. Capt.* 2. 2. Qui *cavet*, ne *decipiatur*, *vix cavet*, *cum etiam cavet*, etiam *cum caviſſe ratus* est, *sæpe is cautor captus* est.

Liv. l. 9. *Arma viris in arma natis auferre festinant.*

Tac. Ann. 6. Quid *scribam*, P. C. *aut quomodo scribam*, aut *quid omnino non scribam*, *hoc tempore*, *dii deæque me pejus perdant*, *quàm perire quotidie sentio*, *si scio.*

Dicitur Ταυτόλης *Tautotes*, à ταυτὸν (Atticè pro τὸ αὐτὸ) *idem*, quod sit figura, quâ sæpius verbum *idem* cum quodam dicendi ornatu usurpamus.

De

De Epimone.

Quid eſt Epimone?

Epimone eſt figura, quâ voces plures (viz. *clauſula, verſiculus*, vel *ſententiola*) ex quibuſdam, ſed incertis intervallis repetuntur.

Ut *Virg. Ec.* 8.

Incipe Manalios mecum mea tibia verſus. Et
Ducite ab urbe domum mea carmina ducite Daphnim.

Qui duo verſus (*intercalares dicti*) repetuntur hic novies, ille octies in eâdem Eclogiâ.

Sic *Theocrit. Idyl.* 1. Ἄρχετε βωκολικᾶς, μῶσαι φίλαι, ἄρχετ' ἀοιδᾶς · quem verſum decies & quater repetit.

In primo & ſecundo capite Prophetiæ *Amos* hæc verba, *Hæc dicit Dominus*, *ſuper tribus ſceleribus*, & *ſuper quatuor non convertam eum*, novies repetuntur.

In carmine *Tobiæ Gutberleth* hic verſiculus, *Bis beatus, ter beatus, millies beatus eſt*, novies repetitur.

Dicitur Ἐπιμονὴ *Epimone*, ab ἐπιμένω *permaneo in*, quod ex recurrente ſæpius eodem verſu vel ſententiâ, *in re eâdem permanere* videamur.

CHAP.

CAPUT VIII.

De Figuris in repetitione vocum quæ ſunt eædem ſono, ſed diverſæ ſenſu.

Quot ſunt figuræ vocum, quæ ſunt eædem ſono, ſed ſenſu diverſæ?

Figuræ vocum ſono quidem earundem, ſed ſenſu diverſarum, duæ ſunt Antanaclaſis & Ploce.

De Antanaclaſi.

Quid eſt Antanaclaſis?

Antanaclaſis eſt figura, quæ repetitur vox eodem ſono, ſed diverſo ſenſu.

Ut *Cic.* ad *Heren. Cur eam rem tam ſtudiosè curas, quæ multas tibi dabit curas?* Item, *Amari jucundum eſt, ſi curetur ne quid inſit amari.* Item, *Veniam ad vos, ſi mihi Senatus det veniam.* Sic *Ovid. Met. l.* 1. *Non hoſpes ab hoſpite tutus.*

Dicitur Ἀντανάκλασις *Antanaclaſis*, ab ἀντὶ *re*, & ἀνακλάω *reflecto*, quod ad eandem ſono vocem in priore ſententiæ clauſulâ dictam, in poſteriore, ſed ſenſu diverſo, eam repetendo quaſi *reflectatur.*

N. *Magnam habet hæc figura vim in* oblectando, *præſertim ſi non ſtudiosè quæſita, ſed ſponte oblata videatur.*

De

De Ploce.

Quid est Ploce?

Ploce est figura, quâ vel Rei vel Personæ nomen, de eâdem vel re vel personâ prædicatur, sed sensu diverso: nempe sic, ut quæ vox uno loco *personam*, aut *rem* significat, altero *mores*, vel *qualitatem* significet.

Ut, *Ad illum diem Memmius erat Memmius.*

Simia erat simia, etsi aurea gestet insignia:

Sic dici potest, *Annona erit annona*, hoc est, *cara*, hoc anno: ut ille olim dixit, *Spathæ erunt Spathæ* [Ladles will be Ladles] persuasurus populo, ut tum Spathas suas emerent, ne postea cariores fierent.

Dicitur Πλοκὴ *Ploce*, à πλέκω *necto*, quod in unâ voce duarum vocum significationes quasi *nectantur*.

Hæc figura orationi & *venustatem* addit, & *acrimoniam*.

CAPUT IX.

De Figuris in repetitione (vel potius conjunctione) vocum quæ sunt eædem sensu, sed diversæ sono.

Quot sunt figuræ vocum, quæ sensu eædem sunt, sed sono diversæ?

Figuræ vocum, quæ sunt sensu eædem, sed sono

ſono diverſæ, duæ ſunt, *Synonymia* ſeu *Palilogia*, & *Exergaſia*.

De Synonymia.

Quid eſt Synonymia, ſeu Palilogia?

Synonymia ſeu Palilogia eſt figura, quâ plures ſimplices dictiones diverſæ ſono, ſed eædem ſenſu congeruntur.

N. *Per dictiones* ſimplices *intellige voces ſingulas.*

Ut *Cic. Cat.* 2. *Abiit, exceſſit, evaſit, erupit.* Idem pro Muren. *Eaque res vobis Populoq; Romano pacem, tranquillitatem, otium, concordiam adferat.*

Cic. Cat. 1. *Non feram, non patiar, non ſinam.* Id. Phil. 5. *Promitto, recipio, ſpondeoque.*

Dicitur Συνωνυμία *Synonymia*, à σὺν *ſimul*, & ὄνομα *nomen*, quod plura rerum *nomina* idem ſignificantia *ſimul* venire ſignificet.

Dicitur item Παλιλογία *Palilogia*, à πάλιν *rurſus*, & λέγω *dico*, quod ſit figura quâ eandem jam dictam rem, mox aliâ ſed idem ſignificante voce *rurſus dicimus.*

N. *Hâc figurâ tum utimur, quum non uno verbo rei dignitatem vel magnitudinem aſſequi videmur; ut quâ conciliatur orationi tum gravitas, tum acrimonia. In quâ tamen magno verborum delectu opus eſt; ne Synonymis inepte coacervatis oneretur verius, quàm ornetur oratio.*

De Exergaſiâ.

Quid eſt Exergaſia?

Exergaſia eſt figura, quâ plures complexæ dictiones,

dictiones, diversæ sono, sed eædem sensu, coacervantur.

N. *Per dictiones* complexas, *intellige sententiolas, phrases, vel formulas dicendi.*

Ut Virg. Æn.

Quem, si fata virum servant, si vescitur aurâ
Æthereâ, nec adhuc crudelibus occubat umbris,
Non metus ——

Dicitur Ἐξεργασία *Exergásia*, ab ἐξεργάζομαι *absolvo*, sive *effectum reddo*, quod hâc qui utitur figurâ, non videtur à loquendo desiturus, quoad rem, de quâ erat dicturus, absolutam dederit, sive propositum effectum reddiderit.

Utendum est (inquit *Vossius*) Ἐξεργασία, cum prodest in re aliquâ commorari, & diutius detinere auditorem: ut cum *asseveramus*, *indignamur*, *dolemus*, cum *miseramur*, aut *approbamus* aliquid.

Lætitiæ quoque convenit; sed cavendum ne in re tenui variandâ curiosam nimis & superfluam operam ponamus; quod vitium Περιεργία *Periergia*, *Curiositas*, sive nimis accurata diligentia vocatur, à περὶ & ἔργον *curiosus*.

CAPUT X.

De Figuris in Conjunctione vocum similium.

QUot sunt Figuræ *in Conjunctione vocum similium?*

Figuræ

Figuræ in ſimilium Conjunctione vocum, ſex ſunt. *Paranomaſia*, *Paregmenon*, *Paromœon*, *Homœoteleuton*, *Parechéſis*, & *Homœoptoton*.

N. *Similes illæ voces ſunt, vel quæ eandem integræ penè vocis formam & ſonum habent: vel quarum aliæ ab aliis derivantur; vel quibus eadem ſunt literæ, ſyllabæve vel initiales, vel finales; vel quas excipiunt aliæ iiſdem inchoatæ ſyllabis, quibus ipſæ terminabantur; vel denique in quibus iidem ſæpius caſus* inflexionis, *ut ut non ſemper* terminationis *concurrunt.*

De Paronomaſia.

Quid eſt Paronomaſia?

Paronomaſia eſt figura, quâ in eâdem ſententiâ concurrunt duæ dictiones, vocis, formâ, & ſono ſimiles, & ſenſu diſſimiles.

Ut Ter. And. 1. 3. *Inceptio eſt amentium, haud amantium.* Cic. Cat. 1. *Non emiſſus ex urbe, ſed immiſſus in urbem eſſe videatur.*

Sen. Here. Oet. *Aut pereat, aut me perimat.*

N. *Repetitæ dictiones licèt ſemper ſint in eâdem ſententiâ, tamen ſæpius ſunt in diverſis ejuſdem ſententiæ clauſulis.*

Dicitur Παρονομασία *Paronomaſia*, à παρονομάζω (derivata à παρὰ *ad*, & ὀνομάζω *nomino*) *agnomino*, quod rem aliquam nomine ad aliud nomen eatenus alludente, ut penè idem cum ipſo videatur, *agnominet*.

N. Delectat *hæc figura; ut in veteri dicto.* Septem convivium; novem convitium. Μαμήσεται τις μᾶλλον, ἢ μιμήσεται, *ut operi inſcripſit ſuo* Apollodorus *præclarus pictor Athenienſis.*

Item

Item *pungit*; ut *Cic. Phil.* 13. *Cum in gremiis mimarum mentum, & mentem deponeres.* Sen. Troad.

O Tumide, rerum dum ſecundarum ſtatus
Extollit animos; timide, cum increpuit metus
Regum.

De Paregmeno.

Quid eſt Paregmenon?

Paregmenon figura eſt, quâ in eâdem ſententiâ conjunguntur duæ, pluresve voces, quarum vel una derivatur ab alterâ, vel ambæ ab eâdem origine derivantur.

Ut Cic. de Am. *Sed ut tum ad ſenem ſenex de ſenectute; ſic in hoc libro ad amicum amiciſſimus de amicitiâ ſcripſi.* Id. *Etenim eo loco locati ſumus;* ut Sen. Med. a. 3. *Exuli exilium imperas.* Plaut. Men. 2. 2. *Bonum anteponam prandium pranſoribus.*

Dicitur Παρηγμένον *Parégmenon*, à παράγομαι *deducor* (à cujus præt. παρῆγμαι eſt Participium παρηγμένον) quod plures in eâdem ſententiâ voces, quarum alia eſt ab aliâ *deducta*, concurrere ſignificet.

N. *Valet hæc figura ad* delectandum.

Paregmeni & Paronomaſiæ diſcrimen perſpicuum eſt. Voces utráque figura conjungit ſimiles; ſed Paregmenon originis ejuſdem, Paronomaſia diverſæ.

De Paromœo.

Quid eſt Paromœon?

Paro-

Paromœon eſt figura, quâ duæ pluresve in eâdem ſententiâ voces iiſdem inchoatæ literis ſyllabiſve concurrunt.

Ut *Cic.* pro *Mil. Vi victa vis.* Virg. Æn. *Fit via vi.* Plaut Menæch. *Palla pallorem incutit.* Virg. Georg. 1. *Et ſola in ſiccâ ſecum ſpatiatur arenâ.* Sic, *O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tuliſti.* Item, *Machina multa minax minatur maxima muris.* Sen. in Med. *Fortuna fortes metuit.* Plaut. Menæch. *Non potuit paucis plura planè proloqui.*

Dicitur Παρόμοιον *Paromœon*, à παρὰ *ad* vel *prope*, & ὅμοι *ſimilis*, quod plures in eâdem ſententiâ *aſſimiles* voces *prope* ſe ponantur.

N. *Hanc figuram dicunt quidam* Epizeuxin principii vocis: *alii*, Cacoſyntheton, *ac ſi ſermonis ſit potius* vitium, *quàm* ornamentum.

Inſigne hujus figuræ ſpecimen eſt Poema *P. Porcii* Poetæ, cui titulus *Pugna Porcorum*, cujus non tantùm omnes verſus, ſed voces à Literâ P. incipiunt. Ut,

Plaudite, porcelli porcorum pigra propago
Progreditur, plures porci pinguedine pleni, &c.

De Homœoteleuto.

Homœoteleuton eſt figura, quâ duæ pluresve dictiones ſimiliter ſonantibus literis vel ſyllabis terminatæ concurrunt in eâdem ſententiâ.

Aliquando ſimiliter terminatæ voces ſunt in *eâdem* ſententiæ *clauſulâ*. Ut *Plaut. Menæch.* 2. 1. *Fratrem quæſitum geminum germanum meum, ſcil. venimus.*

Aliquando in *diverſis*. Ut *Quintil. l. 2. c. 3. Ejuſdem non eſt facere fortiter, & vivere turpiter.* Cic. pro Mil. *Non modò ad ſalutem ejus extinguendam, ſed etiam gloriam per tales viros infringendam.* Id. de Aruſp. Reſp. *Ad illam peſtem comprimendam, exſtinguendam, funditus delendam natus eſſe videatur.* Id. pro Pomp. *Ut ejus voluptatibus non modò cives aſſenſerint, ſocii obtemperârint, hoſtes obedierint, ſed etiam venti tempeſtateſque obſecundârint.*

Dicitur Ὁμοιοτέλευτον *Homœoteleuton*, ab ὅμοιος *ſimilis*, & τελευτὴ *finis*, quòd *ſimilem* plurium ejuſdem periodi membrorum *finem* deſignet.

N. *Hanc figuram referunt nonnulli ad* Epizeuxin *finis vocabuli.*

De Parechéſi.

Quid eſt Parechéſis?

Parechéſis eſt figura, quâ duæ dictiones ſic concurrunt, ut poſterior eâdem ſyllabâ inchoetur, quâ prior terminatur.

Ut, *Fama malum, quo non aliquid velocius.* Virg. Æn. 3. *Tres adeo incertos cæcâ caligine ſoles Erramus Pelago.* Plaut. Menæch. 2. 2. *Convivæ ambulant ante oſtium.*

Dicitur Παρήχησις *Parechéſis*, à παρὰ *prope* & ἠχέω *ſono*, quòd duæ ſimiles in diverſis dictionibus ſyllabæ prope ſe poſitæ, altera in fine præcedentis, altera in initio ſubſequentis, ita *ſonentur*, ac ſi altera alteri tanquam ejuſdem Echo reſpondeat.

N. Id

N *Id eſt Parechêſis inter duas dictiones, quod Anádiplosis inter duas ſententias.*

Interdum duas præcedentis dictionis ſyllabas noviſſimas repetit ſubſequens dictio, nec ſine elegantiâ. Ut in illo *Ciceronis.*

O fortunatam natam me conſule Romam!

Nonnullis hoc ſchema ſermonis potius eſt vitium, quàm ornamentum, dictum *Cacemphaton.*

De Homœoptoto.

Quid eſt Homœoptoton?

Homœoptoton eſt figura, quâ in eâdem ſententiâ concurrunt duæ, pluresve dictiones eodem caſu, ſive ejuſdem ſoni, ſive diverſi.

Ut *Cic.* pro *Mil. Eſt enim hæc, Judices, non ſcripta, ſed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus; verùm ex ipsâ naturâ arripuimus, hauſimus, expreſſimus; ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus.*

Cic. pro *Pomp. Quantâ innocentiâ debent eſſe Imperatores! quantâ deinde omnibus in rebus temperantiâ? quantâ fide! quantâ felicitate! quanto ingenio! quantâ humanitate.*

N. Caſus *hîc intelliguntur, non tantùm* nominum, pronominum, *aut* participiorum, *ſed etiam* verborum.

Dicitur Ὁμοιόπτωτον *Homœoptóton*, ab ὁμοίως *ſimiliter* & πίπτω *cado*, quòd hâc figurâ dictiones plures *caſum ſimilem* habentes in diverſis ejuſdem periodi membris collocentur.

N. *Concurrunt nonnunquam* Homœoteleuton *&* Homœoptoton: *accidit enim aliquando, ut iidem verborum caſus ejuſdem ſint etiam ſoni: nec tamen eædem ſunt figuræ. Nam & eſt* Homœoteleuton *ſine* Homœoptoto: *ut,* Ejuſdem non eſt facere fortiter, & vivere turpiter. *Et eſt* Homœoptoton *ſine* Homœoteleuto; *ut, Cic.* pro *Arch.* Hunc ego non diligam? non admirer? non omni ratione defendendum putem? *Item* Cic. in Ver. 1. Eſt idem Verres, qui fuit ſemper, *ut* ad audendum projectus, *ſic* paratus ad audiendum. Audendum *enim &* audiendum, paratus *&* projectus *ſunt* Hemœoptota; *at neutrum ſententiæ membrum alteri eſt* Homœoteleuton.

Hæ quæ in vocum ſimilitudine conſiſtunt figuræ, præcipuum habent & locum & laudem in ſententiis; quæ tam elegantibus prolatæ ſub figuris, & in animum ſuaviùs influant, & memoriæ firmiùs inhærent, ſed illis parciùs utendum, ne faſtidium pariant.

CAPUT XI.

De Figuris in vocum Tranſpoſitione.

Quot ſunt Figuræ in vocum Tranſpoſitione?

Figuræ in vocum tranſpoſitione quinq; ſunt; Metatheſis, Hypallage, Anaſtrophe, Synchyſis, & Hyſterologia.

De Metatheſi.

Quid eſt Metatheſis?

Metatheſis eſt figura, quâ litera aliqua è ſede ſuâ

ſuâ in alteram ejuſdem vocis ſedem antrorſum vel retrorſum transfertur.

Ut cum dixit *Virg. Piſtris* pro *priſtis*; & *Tymbre* pro *Tymber*.

Dicitur Μετάθεσις *Metátheſis*, à μετὰ *trans* & τίθημι *pono*, quod alteram *trans* alteram literam *ponat*.

De Hypallage.

Quid eſt Hypallage?

Hypallage eſt figura, quâ ſubſtantivorum duorum, vel caſus tranſponuntur, vel Epitheta inter ſe commutantur.

Prioris generis eſt, ſi dixeris, *Dare claſſibus Auſtros*, pro dare *claſſes Auſtris*; vel *gladium vaginâ vacuum*, pro *vaginam gladio vacuam*; vel *ad cantum galli ſecundi*, pro *ad ſecundum galli cantum*. Juv. 9. Sat.

Poſterioris eſt illud *Ovidii*, quo dixit, *In nova corpora mutatas formas*, pro *in novas formas mutata corpora*.

Dicitur Ὑπαλλαγὴ *Hypallage*, ab ὑπὸ *ſub* vel *in*, & ἀλλάττω *muto*, quod *ſubmutatos* duarum dictionum, vel caſus, vel Epitheta innuat.

De Anaſtrophe.

Quid eſt Anaſtrophe?

Anaſtrophe eſt figura, quâ vel poſterior compoſitæ vocis pars priori anteponitur, vel præpoſitio caſui ſuo, quem debet præcedere, poſtponitur. Ut cum *Virg.* dixit

Nam quis *te juvenum confidentiſſime, noſtros*

Juſſit adire domos? pro quiſnam.

Item *Tibul.*

Et *quodcunq; mihi pomum novus educat annus,*
Libatum agricolæ ponitur ante *Deo*, pro anteponitur.

Virg. Tranſtra per *& remos.* Cornel. Nep. *Athenienſes diem certum Chabriæ præſtituerunt*, quam ante *domum niſi rediiſſet*, &c. pro antequam.

Huc accedit cum dictio *Enclitica* præcedit dictionem cui ſubnecti debuit.

Ut *Plaut. Credo aurum inſpicere vult, ne ſurreptum ſit*; pro *ſurreptum ne ſit.*

N. *Voces quas Anaſtrophe tranſponit, ad idem comma pertinent.*

Dicitur Ἀναστροφὴ *Anáſtrophe*, ab ἀναστρέφω *inverto*, quod ſignificet *inverſum* vocum ordinem; ſive poni voces præpoſtero ordine.

De Synchyſi.

Quid eſt Synchyſis?

Synchyſis eſt vocum ex uno commate in alterum trajectio.

Ut *Sen.* Med. v. 517. *Nos confligere*, certemus, *ſine*, ſit *precium Jaſon.* Pro ſine nos confligere, certemus, &c.

Hor. l. 2. Sat. 1.— *Sed bona ſi quis*
Judice condiderit laudatur Cæſare— pro Sed ſi quis condiderit bona, Cæſare Judice laudatur.

Virg.

Virg. 1. Æn.

Vina, bonus quæ deinde cadis onerârat Aceſtes,
Litore Trinacrio, dederatq; abeuntibus heros.

Dividit. Pro deinde heros dividit vina, quæ Aceſtes bonus onerârat cadis, dederatque abeuntibus litore Trinacrio.

Dicitur Σύγχυσις *Synchyſis*, à συγχύω *confundo*, quod ſit vocum ad diverſa commata pertinentium quædam quaſi *confuſio*.

N. *Inter* Anaſtrophen *&* Synchyſin *hoc intereſt, quod* Anaſtrophe *trajicit voces in eodem commate, Synchyſis ex uno in alterum.*

De Hyſterologiâ.

Quid eſt Hyſterologia?

Hyſterologia eſt figura, quâ res quæ naturæ ordine præcedit, dicendi ordine ſubſequitur.

Ut *Virg. Moriamur*, & *in media arma ruamus.* Ter. Heaut. *Valet atque vivit.* Virg. Æn. 3. *Poſtquam altos tetigit fluctus*, & *ad æquora venit.*

Dicitur Ὑστερολογία *Hyſterológia*, ab ὕστερον *poſterius*, & λέγω *dico*; quod innuat illud *poſterius* ſermonis ordine dici, de quo priùs naturæ ordine dicendum fuiſſet. Dicunt quidam hanc figuram ὕστερον πρότερον alii πρωθύστερον.

N. *Hyſterologia eſt rerum potius quàm verborum tranſpoſitio; & ideo vocum quia rerum.*

CAPUT XII.

De Figuris in vocum Transformatione.

Quot ſunt Figuræ in vocum Transformatione?

Figuræ in vocum transformatione ſunt ſeptem, Protheſis, Epentheſis, Paragoge, Aphæreſis, Syncope, Apocope, & Antiſtoichon.

N. *Transformantur voces* addendo *aliquid illis*, auferendo *aliquid ab illis*, mutando *aliquid in illis*. *Hinc iſte Septenus figurarum in vocibus transformandis numerus; è quibus tres verſantur in* addendo, *tres in* auferendo, *una eaque noviſſima in* mutando. *Sex priores tanquam ex Grammaticâ ſatis notas hic miſſas fecimus, dicturi tantum de ultimâ, ſcilicet Antiſtoicho.*

De Antiſtoicho.

Quid eſt Antiſtoichon?

Antiſtoichon eſt figura, quâ una litera pro aliâ ſubſtituitur? nempe (o) pro (i) vel (e); item (u) pro (i.)

Ut cum dicitur *Olli* pro *illi*, *voſter* pro *veſter*, *maxumè* pro *maximè*, &c.

Dicitur Ἀντίστοιχον *Antiſtoichon*, ab ἀντὶ *pro*, & στοιχεῖον *ſyllabæ elementum*, ſive *litera*, quod *aliam pro aliâ literam ponat*.

Hanc figuram ſunt qui dicunt *Antitheſin*, quæ dicitur ab ἀντὶ *pro*, & τίθημι *pono*, quod ſcilicet *pro aliâ aliam literam ponat*. Sed hæc de ſchematibus ſive figuris dictionis.

CAPUT

CAPUT XIII.

De Figura Sententiæ.

Quid eſt Figura Sententiæ?

Figura ſententiæ eſt forma dicendi, quâ accedit orationi ornatus, non ex parte aliquâ ſententiæ, ſed ex ipsâ totâ ſententiâ, prout hâc vel illâ ratione inſtituitur atque effertur.

N. *Figura Sententiæ in hoc differt à Figurâ Dictionis: quod hæc afficiat voculas tantùm aliquas in ſententiâ, at illa totam afficit ſententiam. Deinde mutatis vel verbis, vel verborum ordine perit Figura Dictionis, at ſive mutes verba, ſive verborum ordinem, modò ſenſus idem maneat, manet eadem Figura Sententiæ.*

Quot ad Claſſes reduci poſſunt figuræ ſententiæ?

Figuræ ſententiæ ad quinque claſſes reduci poſſunt, nempe ad eas quæ ad probationem, quæ ad explicationem, quæ ad exaggerationem, quæ ad affectuum concitationem, quæque denique ad orationis diſpoſitionem faciunt.

Non quin eædem figuræ variis uſibus inſerviant; ſed quod ab eo, quod in quâque re eſt præcipuum, denominatio ejus ſit ſumenda.

CAPUT

CAPUT XIV.

De Figuris quæ ſaciunt ad probationem.

Quot ſunt figuræ, quæ ad probationem faciunt?

Figuræ ſententiæ, quæ ad probationem faciunt ſunt ſeptem, Prolepſis, Hypobole, Anacœnoſis, Synchoreſis, Paromologia, Epitrope, & Antiſtrophe.

De Prolepſi.

Quid eſt Prolepſis?

Prolepſis ſive Occupatio eſt figura, quâ quod ab adverſario nobis objici poſſe proſpicimus, nos ipſi priores proponimus, atque antè diluimus.

Dicitur Πρόληψις *Prolepſis*, à πρὸ *ante*, & λῆψις (formato à λέλημμαι ſecundâ perſonâ Præt. Paſſ. verbi λαμβάνω *capio*) quod hâc figurâ illud quis præveniendo *anticipet*, & *ante* diluendum *capiat*, quod ab adverſario iri poſtea objectum videat.

Quot ſunt partes Prolepſis ſeu Occupationis?

Prolepſis ſive Occupationis duæ ſunt partes, ſcilicet *Hypophora*, & *Anthypophora* ſive *Proſapodoſis*.

Quid eſt Hypophora?

Hypophora eſt quâ, quod ab Adverſario objici poſſe prævidemus, nos ipſi priori loco proponimus.

Quid eſt Anthypophora? *Anthy-*

Anthypophora sive *Prosapodosis* est, quâ prævisæ atque à nobis propositæ Adversarii objectioni nos ipsi respondemus, eamq; diluimus.

Exemplum utriusq; partis habetur in *Cap. 9. Ep.* D. Pauli ad Romanos. Hypophoræ quidem ver. 19. *Dices itaque mihi, Quid adhuc queritur? voluntati enim ejus quis restitit?* Anthypophoræ verò ver. 20. *O homo tu quis es, qui respondeas Deo*, &c. Sic in illâ *Didonis* Prolepsi apud *Virg. Æn.* 4. Hypophora sive objectionis propositio est in illis verbis. *Verum anceps pugnæ fuerat fortuna.* Anthypophora, sive ad objectionem illam responsio in istis. *Fuisset, Quem metui moritura?* Sic in illo *Ciceronis* pro *Cœlio*; Hypophora habetur in his verbis, *Dicet aliquis, Hæc igitur est tua disciplina? Sic tu institutis adolescentes*, &c. Cui non multo post subjicitur Anthypophora in illis verbis, *Ego si quis, judices, robore animi*, &c.

Dicitur Ὑποφορὰ *Hypóphora*, ab ὑποφέρω *objicio*, quod Adversarii *objectionem* in orationem nostram subinducat.

Dicitur Ἀνθυποφορὰ *Anthypóphora*, ab ἀνθυποφέρω *replico*, quod nostram contineat *replicationem* ad ea, quæ Adversarium velle nobis objicere supponimus.

Dicitur item Προσαπόδοσις *Prosapódosis*, à προσαποδίδωμι *reddo*, quod inductæ objectioni responsionem *reddat*.

Hypophora inducitur his plerumque dicendi formu-

formulis, *Dicet aliquis, quærat aliquis, miretur aliquis, at inquis, at inquiat aliquis*, &c. Estque interdum *concisa*, interdum *magnifica*.

Anthypophora his aut similibus dicendi formulis inducitur, *tamen, at inquam ego, respondeo hunc in modum*, &c.

De Hypobole.

Quid est Hypobole?

Hypobole sive Subjecto est figura, quâ ipsi ultra ea proponimus, quæ pro Adversario posse dici advertimus, atque ad singula breviter respondentes, diluimus.

Dicitur Ὑποβολὴ *Hypobole*, ab ὑποβάλλω *subjicio* sive *suggero*, quod hâc figurâ, quæ pro se dicere possit Adversarius ipse nobis *suggerimus*, refutationique nostræ *subjicimus*.

N. *Prolepseως & Hypoboles discrimen apertum est.* Prolepsis *ea proponit & diluit, quæ dicere potest Adversarius contra nos.* Hypobole *proponit atque diluit, qua pro se potest dicere Adversarius, seu quis alius pro illo.*

Perfecta si sit *Hypobole*, tribus partibus constat. Primam dicunt πρόθεσιν sive *Propositionem*. Altera duas porrò partes habet; prior est dicendorum pro Adversario ἀπαρίθμησις seu *Enumeratio*; posterior, eorum quæ pro Adversario sunt, dicta ἀφαίρεσις sive Remotio. Tertia tandem Hypoboles pars nominatur συμπέρασμα sive *Conclusio*.

Harum omnium partium exemplum habemus in *Cic.* pro *Quint.* Primæ partis, scilicet propositionis sive Protaseως in his verbis. *Dubitabitur*

bitabitur utrum ſit probabilius, Sex Nævium, ſi quid deberetur, periturum fuiſſe: an ne appellaturum quidem biennio? Secundæ partis quæ dicendorum pro Adverſario & Enumerationem & Remotionem continet, in his verbis. *Appellandi tempus non erat? at tecum plus anno vixit. In Galliâ agi non potuit? at & in provinciâ jus dicebatur, & Romæ judicia fiebant. Reſtat ut aut ſumma negligentia tibi obſtiterit, aut unica liberalitas. Si negligentiam dices, mirabimur; ſi bonitatem, ridebimus; neq; præterea, quid poſſis dicere, invenio.* Tandem tertia pars, nempe συμπέρασμα ſive Concluſio ſequitur in his verbis, *Satis eſt arguenti, nihil eſſe debitum Nævio, quod tam diu nihil petivit.*

At Hypobolæ quandoque *deeſt Propoſitio*; quandoque *Concluſio*, aliquando etiam *utraque*. Ex utriuſque vel alterius defectu *Hypobole* evadit *imperfecta*.

Imperfectæ Hypoboles exemplum habes apud *Cic.* pro *Planc. Malè judicavit populus: at judicavit. Non debuit: at potuit. Non fero: at multi clariſſimi & ſapientiſſimi cives tulerunt.*

Multum ineſt figuræ huic & *gravitatis* & *acrimoniæ*, præſertim ſi inſtituatur per *Anaphoram*, *Homœoptota*, vel *Interrogationem*.

Ut apud *Cic.* de Haruſp. Reſp. *Tu meam domum religioſam facere potuiſti? ecquâ mente? quâ invaſeras: quâ manu? quâ diſturbaras: quâ voce? quâ incendi juſſeras: quâ lege?*

quam

quam ne in illâ quidem impunitate tuâ scripseras? quo pulvinari? quod stuprâras. Quo simulachro? quod ereptum ex meretricis simulachro, in Imperatoris monumento collocâras.

De Anacœnosi.

Quid est Anacœnosis?

Anacœnosis est figura, quâ de eo quod nobis objicitur, vel in nobis reprehenditur, Adversarium nostrum, vel ipsum etiam judicem consulimus, quid faciendum sit, quidve factum fuisse à nobis oportuit, vel denique quid tandem ipsi aliud in eo casu facturi fuissent.

Ut in illo *Cic.* pro *Rab. Tu denique Labiene, quid faceres in tali re ac tempore? cum ignaviæ ratio te in fugam atque in latebras impelleret? improbitas & furor L. Saturnini in Capitolium arcesseret? consules ad patriæ salutem ac libertatem vocarent? quam tandem auctoritatem? quam vocem? cujus sectam sequi? cujus imperio parere potissimum velles?*

Dicitur Ἀναχοίνωσις *Anacœnósis*, ab ἀναχοινόω *consulto unà cum alio de re quapiam*, quod hâc figurâ *alios* (judicem scilicet vel adversarium nostrum) de eo quod est nobis objectum, *consulimus.*

N. *Hæc figura apud* Adversarios *valet ad* urgendam *atque* extorquendam *iis* confessionem: *apud* Judices *valet ad animos eorum movendos, dum vident nos in ipsorum æquitate fiduciam nostram collocare. Et apta est* purgationi, *ut quæ multum probabilitatis habeat. In primisque convenit* confidenti *ac* refellenci.

De

De Synchoréſi.

Quid eſt Synchoréſis?

Synchoréſis ſive Conceſſio eſt figura, quâ dictum aliquod ſeu argumentum ita Adverſario concedimus, ut conceſſio iſta noſtræ nihil cauſæ obſit.

N. *Hoc fit, cum id quod conceditur, nihil impedit quo minùs id quod volumus, conſequatur. Ut* Cantic. Canticor cap. 1. ver. 5. Nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Jeruſalem: *quaſi dixiſſet, ſi concedam vobis id quod mihi objicitis, nempe me nigram eſſe, hoc tamen non impediet, quo minùs formoſa ſim; formoſa enim poteſt eſſe, etiam ea quæ nigra eſt.*

Sic *Virg.* Ecl. 10. *Quid tum ſi fuſcus Amyntas? Et nigræ violæ ſunt, & vaccinia nigra.* Quaſi dixiſſet, eſt cur mihi poteſt eſſe, in deliciis *Amyntas*, etiamſi concedatur eſſe, ut eſt, coloris fuſci, quemadmodum etiam violæ, nihilominus ut nigræ ſint, ſuaves ſunt olfactui, & vaccinia guſtui. Sic *Cic.* ex perſonâ amicorum *Verris*, pro *Verre* dixit, *Sit ſacrilegus, ſit fur, ſit flagitiorum omnium vitiorumque princeps; at eſt bonus imperator.* Quaſi dixiſſent, ut concedamus omnia vera eſſe, quæ in *Verrem*, ad probandum illum hominem eſſe malum objicis, non tamen inde ſequetur, quin bonus poſſit eſſe imperator.

Dicitur Συγχώρησις *Synchoréſis*, à *συγχωρέω concedo*, quòd hac figurâ Adverſario, id quod velit, ita tamen ut nobis non obſit, concedimus.

De Paromologiâ.

Quid eſt Paromológia?

Paromologia ſive Confeſſio eſt figura, quâ ita Adverſario id, quod nobis objicit, concedimus, atque confitemur, ut noſtra ejus conceſſio atque confeſſio ipſi Adverſario obſit.

Hâc figurâ uſus eſt *Cicero in Orat.* pro *Ligar.* adverſus *Tuberonem. Habes igitur Tubero quod eſt accuſatori maximè optandum, confitentem reum, ſed tamen hoc ita confitentem, ſe in eâ parte fuiſſe, quâ te, Tubero, quâ virum omni laude dignum, patrem tuum. Itaque priùs de veſtro delicto confiteamini neceſſe eſt, quàm Ligarii ullam culpam reprehendatis.*

Dicitur Παρομολογία *Paromologia*, à παρὰ ſignificante in compoſitione *ſimul*, & ὁμολογέω *confiteor*, quòd hâc figurâ *ſimul* cum Adverſario *confiteamur* id, quod ipſe nobis objicit, ſed ita ut illi ipſi obſit.

De Epitrophe.

Quid eſt Epitrophe?

Epitrophe eſt figura, quâ ſic alteri habere vel facere aliquid permittimus, ut nihilominus totum illud quod volumus, nobis reſervemus.

Quandoque *ſeria* eſt. Ut *Cic.* Agrax. 2. *Si quid eſt quod indagâris, inveneris, ex tenebris erueris, quanquam iniquum eſt, tamen conſume ſanè, quoniam commodum eſt, quoniam tu quidem attuliſti. Sylvam verò tu ſcantiam vendas, nobis conſulibus atque hoc ſenatu?* Sic *Cic.* pro *Flac.*

Tribuo

Tribuo Græcis literas, do multarum artium acumen, dicendi copiam; denique etiam si qua sibi alia sumant, non repugno; testimoniorum religionem & fidem nunquam ista Natio coluit.

Plerumque verò *Ironicâ*. Ut *Eccles. c. 11. v. 9. Lætare ergo juvenis in adolescentiâ tuâ, & in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum. Et scito quòd pro omnibus his adducet te Deus in judicium.*

Seria *confidenti* convenit; Ironica *invidiam* Adversario conflat.

Dicitur Ἐπιτροπὴ *Epitrope*, ab ἐπιτρέπω *permitto*; quod hâc figurâ alteri illud, quod nobis non officiat, *permittamus*.

De Antistrophe seu Inversione.

Quid est Antistrophe?

Antistrophe sive Inversio est figura, quâ Adversarii argumentum invertimus, atque in ipsum retorquemus.

Ut si sic arguenti, *Philosophari nolo, quia nobilis sum*; hunc ad modum respondeatur, *Imò quia nobilis es, eò magis philosophari debes, ut dignum genere animum geras.*

Vel si dicenti, *Nihil tribuam pauperibus, quia non possunt mihi retribuere*, respondeatur, *Imò quia retribuere tibi pauperes non possunt, eò magis tribuere illis debes: quoniam retribuet tibi Deus.*

Sic Obj. *Non sentit, ergo est mortuus.*

Resp. *Imò sentit, ergo mortuus non est.*

Vel Obj. *Mortuus est, ergo non sentit.*

Resp. *Imò sentit, ergo non est mortuus.*

At enim amici fuerunt nostri, eò majora meruerunt supplicia. Nam qui ignotos lædit, latro appellatur, qui amicos paulo minùs quàm parricida. Petron. p. 374.

Dicitur Ἀντιστροφὴ *Antistrophe*, ab ἀντὶ *in* vel *contra*, & στρέφω *verto*, quod hâc figurâ argumentum ab Adversario dictum sic *in* ipsum Adversarium *vertimus*, ut *contra* illum ipsum faciat.

Dicitur hæc figura aliis *Metastasis*, aliis *Biaion*, sive *Violentum*.

CAPUT XV.

De Figuris Sententiæ quæ faciunt ad Explicationem.

Quot Figuræ faciunt ad Explicationem?

Figuræ sententiæ quæ ad explicationem faciunt quindecim sunt; Gnome, Noéma sive Chria, Merismus, Ætiologia, Diatypósis, Paradigma, Parabole, Icon, Symbole, Anomœósis, Paradiastole, Antitheton, Synœciósis, Oxymóron, & Epiphonéma.

De Gnome.

Quid est Gnome?

Gnome sive sententia est generale pronunciatum,

ciatum, quo nuda rei ad vitam utilis cognitio, ſine præceptione aliquâ, vel ſuaſione proponitur.

Ut, *Obſequium amicos, veritas odium parit.*
Mens regnum bona poſſidet.

Dicitur Γνώμη *Gnome*, à γνόω *noſco*, quod inſigne aliquod dictum ad vitæ inſtitutionem pertinens *noſcendum* exhibeat.

Sententiæ *docent* ſimul & *delectant*. Utiturque iis Orator ad *gravitatem*, tum in *hortando*, tum in *monendo*, tum in *conſolando*. Sed non nimis frequentandæ ſunt.

De Noemate ſeu Chriâ.

Quid eſt Noéma ſive Chria?

Noéma ſive Chria eſt figura, quâ ſententia ſive generale pronunciatum ad ſingularem perſonam per modum alluſionis accommodatur.

Ut, *Obſequio amicos, veritate odium parias.*

Dicitur Νόημα *Noéma*, à νοέω *in animo verſo*, quod alicujus prudenter dictum alteri in animo verſandum inferat. Dicitur item χρεία *Chria*, à χράομαι *utor*, quod utile aliquod generale obſervatum ad ſingularis cujuſpiam perſonæ uſum accommodet.

N. *Gnome eſt, ſi dicas*, Gratum hominem ſemper beneficium delectat, ingratum ſemel: *Noema ſive Chria erit, ſi dicatur*, Gratus ſi ſis, te ſemper beneficium delectabit, ſi ingratus, ſemel.

Sic Gnome erit, ſi dicatur, *Satius ſit offendere veris, quàm adulando placere*; Noéma ſive

Chria erit, si dicam, *Maluerim veris offendere, quàm placere adulando.* Si quis tamen maluerit id *Gnomen* dicere, quod nos *Chriam*; idve *Chriam* quod nos *Gnomen*; non contendem; nec enim tanti rem esse duco.

De Merismo.

Quid est Merismus?

Merismus, sive Distributio est figurâ, quâ pro toto aliquo singulas ejus partes nominamus, sive enumeramus.

Ut cum dicitur, *Credo in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem cœli & terræ*; i. e. totius mundi; vel si pro universo populo Romano dicas *Senatum, Equites,* & *Plebem.*

Virg. Æn. 1. *Quæ mare nunc terrasque metu cœlumque fatigat.*

Dicitur Μερισμὸς *Merismus*, à μερίζω *distribuo*; quod hâc figurâ totum aliquod in partes suas quasi distribuimus, id dicentes de partibus, quod est de toto intelligendum.

Facit hæc figura, & ad *ornatum*, & ad *copiam.*

De Ætiologiâ.

Quid est Ætiologia?

Ætiologia est figura, quâ dicti factive ratio seu causa sermoni subjicitur.

Ut, *Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.*

Hinc prohibitus, non ad Cæsarem venit, ne iratus; non domum, ne iners; non aliquam in regionem,

nem, ne condemnare illam cauſam, quam ſecutus eſſet, videretur. Cic. pro Ligar.

Dicitur Αἰτιολογία *Ætiológia*, ab αἰτία *cauſa*, & λέγω *dico*, quod illius quod dictum factumve eſt *cauſam* ſeu rationem reddat.

N. *Si cauſa ſit ſpecioſa magis quàm vera*, Color *dicitur, ut ſi loquacis multiloquio hominis fatigatus, tibi eſſe abeundum dicas, quod malè te habeas.*

De Diatypoſi.

Quid eſt Diatypóſis?

Diatypóſis ſive Hypotypóſis eſt figura, quâ res, quæ nudè breviterque dici poteſt, ita clarè copioſéque exponitur, ut coram, atque ob oculos ſpectanda poni videatur.

Ut, ſi cum poſſit quis breviter dicere, *Vidiſſe ſe quoſdam alicubi luxuriosè convivantes*, malit dicere *ſe vidiſſe alios quandam, in domum intrantes, alios verò exeuntes, quoſdamque ibi ex vino vacillantes, quoſdamque heſternâ potatione oſcitantes; unum unguentis oblitum, redimitum coronis, alterum hianti ore vomentem, fruſtiſque eſculentis vinum redolentibus gremium ſuum totumque pulvinar fœdantem; humum denique immundam, vino lutulentam, coronis languidulis, avium oſſiculis, piſciumque ſpinis coopertam.*

Sic Martial. l. 8. Ep. 30.

Aſpicis ut teneat flammas, pœnâq; fruatur
Fortis, & attonito regnet in igne manus?

Dicitur Διατύπωσις *Diatypóſis*, à διατυπόω *rem formâ ſuâ deſcribo*, quod hâc figurâ rem non

nudè ac breviter, sed prolixè, & quasi omnibus suis lineamentis & coloribus describamus.

Dicitur Ὑποτύπωσις *Hypotypósis*, ab ὑποτυπόω *delineo*, & *oculis subjicio*, quòd rem de quâ dicitur clarè *delineet*, ac quasi *oculis spectandam objiciat*.

N. *Simplicior dilutiorque rei descriptio* Hypotyposis *dicitur: sed vulgò* Diatyposis *& Hypotyposis pro eodem Schemate habentur.*

De Paradigmate.

Quid est Paradigma?

Paradigma sive Exemplum est facti alicujus commemoratio, hoc fine facta, ut indè ostendatur aliquem vel simile facturum, vel facere debere.

Ut, si memoretur laceratam fuisse *Marii* & *Syllæ* dissidio rempublicam, ut inde ostendatur futurum, ut denuo respublica laceretur, si *Pompeius* & *Cæsar* sibi invicem dissideant. Vel si eo quis animo commemoret *Antonium* Imperatorem *Frontoni* præceptori suo statuam erexisse; ut ostendat debere discipulos ita esse animatos erga præceptores suos, ut eos maximo, quo possint, honore afficere velint.

Dicitur Παράδειγμα *Paradigma*, à παρὰ *juxta*, & δείκνυμι *ostendo*, quòd *ostendat* aliquem facturum, vel debere facere *juxta* cum illo, quod est ab alio factum.

N. *Paradigma sumitur à* personis, *vel veris vel fictis*; *ab* animantibus, *tandemque* rebus sensu carentibus.

De

De Parabole.

Quid eſt Parabole?

Parabole ſive Comparatio eſt, cum ad illuſtrandum id, de quo ſermo eſt, petitur ſimilitudo ab iis quæ fuêre, fiunt, aut naturâ, caſuve rebus inſunt.

Exempli gratiâ. *Ut apis ex amariſſimo thymo mel ſuaviſſimum colligit, ita ſapiens ex triſtiſſimis rebus aliquid utilitatis excerpit.*

Dicitur Παραβολὴ *Parabole*, à παραβάλλω *confero*, ſeu *comparo*, quod ad aliquod illuſtrandum cum alio aliud *comparet.*

N. *Parabole ſive Comparatio duas habet partes*; alteram *quâ continetur id, à quâ ſimilitudo ducitur*; alteram *quâ continetur id, quod huic, ut ſimile comparatur*: prior *pars dicitur* Protaſis *ſive* Propoſitio; poſterior Apodoſis *ſive* Redditio. *Poteſt ex* fabulis *quoque inſtitui Parabole ſive Comparatio.*

De Icone.

Quid eſt Icon?

Icon ſive Imago ſimplex eſt aſſimilatio Protaſi Apodoſique carens, facta per particulam *velut*, *tanquam*, *inſtar*, aliamve hujus generis.

Ut *Cic.* in *Vatin.* *Repente enim te, tanquam ſerpens è latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis cervicibus intuliſti.*

Item in Paradox. *Minutis interrogatiunculis, & quaſi punctis, quod propoſuit, efficit.*

Martial. l. 4. Ep. 57.

Sic avidis fallax indulget piſcibus hamus.
Callida ſic ſtultus decipit eſca feras.

Dicitur Ἐικὼν *Icon*, ab ἔοικα *ſimilis ſum*, quòd rem aliquam, quo explicatior reddatur, alteri eſſe *ſimilem* innuat.

Utitur hâc figurâ *Orator* ad illuſtrandam orationem ſuam; ſed magis convenit *Poetæ*, præſertim ſi longior ſit.

De Symbole.

Quid eſt Symbole?

Symbole ſive Collatio eſt figura, quâ perſonam cum perſonâ, factum cum facto, remve cum re ſic conferimus, ut ex collatorum oppoſitione appareat, quantum inter ſe conveniunt aut differunt.

Ut *Cic. 6. in Verr. Conferte hanc pacem cum illo bello; hujus Prætoris adventum cum illius Imperatoris victoriâ; hujus cohortem impuram cum illius exercitu invicto; hujus libidines cum illius continentiâ, ab illo, qui cepit, conditas, ab hoc, qui conſtitutas accepit, captas dicetis Syracuſas.*

Dicitur Συμβολὴ *Symbole*, à συμβάλλω *confero* ſive *comparo*, quòd perſonarum, factorum, vel rerum inter ſe *comparationem* inſtituat.

De Anomœóſi.

Quid eſt Anomœóſis?

Anomœóſis ſive Diaphora eſt figura, quâ ex diſſimilis comparatione orationem noſtram illuſtramus.

Ut *Cic.* pro *Planc. Diſſimilis eſt* pecuniæ *debitio &* gratiæ; *nam qui* pecuniam *diſſolvit*, ſtatim

ſtatim non habet id, quod reddidit; qui autem debet, is retinet alienum: gratiam *autem, & qui refert habet,* & *qui habet, in eo ipſo, quod habet, refert.*

N. *Quæ rationem diſſimilitudinis addit, ea* perfecta *eſt* Anamœoſis; *eſt & alia* imperfecta, *quæ illam non addit. Ut,* Non quemadmodum in tragœdiis, ita nobis in calamitatibus opus eſt, qui comploret, & collacrymet.

Dicitur autem Ἀνομοίωσις *Anomœóſis*, ab ἀνομοιόω *diſſimile reddo*, quod, quo rem unam illuſtremus, illam alteri, factâ utriuſque inter ſe collatione, *diſſimilem reddamus.*

De Paradiaſtole.

Quid eſt Paradiaſtole?

Paradiaſtole eſt figura, quâ ex rebus diſparatis, præſertim ſignificatione vicinioribus, alteram ab aliquo removemus, alteram in eodem ponimus.

Ut, *Non formoſius erat, ſed erat facundus Ulyſſes.* Sic. *Obumbrat virtutem fortuna, non obruit illam.* *Cic.* pro *Mil.* *Eſt enim hæc non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, leginus, verùm ex ipſâ naturâ arripuimus, hauſimus, expreſſimus; ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus.*

N. *Illuſtrior eſt hæc Figura cum rationem adjunctam habet. Ut,* Quapropter nolo te ſæpiùs parcum appellare, cum ſis avarus. Nam qui parcus eſt, utitur eo, quod ſatis eſt; tu contra propter avaritiam, quo plus habes, magis eges.

Dicitur

Dicitur autem Παραδιαστολὴ *Paradiaſtole*, à παραδιαστέλλω *disjungo* ſeu *ſeparo*, quod hâc figurâ res naturâ ſuâ diſparatas oratione noſtrâ à ſe invicem disjungamus, ſeu ſeparemus.

Inſervit hæc figura *refutationi* & *reprehenſioni*.

De Antitheto.

Quid eſt Antitheton?

Antitheton, ſeu (ut aliqui volunt) Antitheſis, eſt figura, quâ res contrarias juxta ſe, & quaſi ſibi invicem reſpondentes ponimus.

Ut *Virg. Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur.* Horat. l. 1. Sat. 1. *Parvula nam exemplo eſt magni formica laboris.* Cic. pro Quint. *Egentes in locupletes, perditi in bonos, ſervi in dominos armabantur.*

Id. Cat. 2. *Denique æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes certant cum iniquitate, cum luxuriâ, cum ignaviâ, cum temeritate, cum vitiis omnibus; poſtremò copia cum egeſtate; bona ratio cum perditâ, mens ſana cum amentiâ, bona denique ſpes cum omnium deſperatione.* Id. pro Murenâ. *Quod ſi ita eſt, certat opinor Sulpici forum caſtris, otium militiæ, ſtylus gladio, umbra ſoli.*

Dicitur Ἀντίθετον *Antitheton*, ab ἀντὶ *contra*, & τίθημι *pono*, quod res contrarias juxta quidem, ſed tamen *contra ſe* (hoc eſt, alteram quaſi è regione alterius) *ponat*.

De

De Synœciósi.

Quid eſt Synœciósis?

Synœciósis eſt figura, quâ duo contraria eidem tribuimus.

Ut *Martial.* de formicâ ſuccino incluſa, *Et latet, & lucet Phaetontide condita gutta.* Sic, *Avaro tam, quod adeſt, deſit, quàm quod non adeſt.* Senec. Herc. Oet. *Omne es malum, nullumque.* Sic Martial. l. 3. Ep. 34. *Dignâ tuo cur ſis, indignaque nomine dicam.*

Dicitur Συνοικείωσις *Synœciósis*, à συνοικειόω *concilio*, quòd contraria eidem tribuens, ea ſibi invicem quaſi *conciliet*, ac familiaria reddat, & quaſi ſimul habitare faciat.

De Oxymóro.

Quid eſt Oxymóron?

Oxymóron eſt figura, quâ de aliquo, quod uno verbo affirmamus, altero negamus.

Ut, *Impia pietas, iners ars*; Sic Hor. lib. 1. Ep. 12. *Rerum concordia diſcors.* Plaut. Aul. 1. *Ædes inaniis ſunt oppletæ.* Cic. *Tacita loquitur.* Ter. Eun. 4. 4. *Tu pol ſi ſapis, quod ſcis, neſcis.* Cic. 1. Cat. *Cum tacent, clamant.* Martial. *Quiſquis ubique habitat, Maxime nuſquam habitat.* Item. *Poſthume non bene olet, qui bene ſemper olet.* Dumb Muſick. She ſtinks of ſweetneſs.

N. *Quo melius has duas ſibi affines figuras pueri internoſcant, advertant, quòd, cum dicitur & tacet, & loquitur, eſt* Synœciósis; *at ſi dicatur*, tacita loquitur *eſt* Oxymoron;

Oxymoron; cum dicitur, *es aliquid*, & *es nihil* [sc. aliquid in omnibus, nihil in singulis] est Synœciósis; at cum dicitur, *hoc aliquid nihil est*, est Oxymóron.

Quippe in Synœciósi duo contraria eidem tribuimus, in Oxymóro unum & idem de eodem, & affirmamus & negamus, diverso nempe sensu sive respectu; idque vel *explicitè*, ut & *sapit*, & *non sapit*; vel *implicitè*, ut *Sapiens desipit*: hoc est, cum verè sapiens sit, aliquâ tamen ex parte desipit, sive sapiens non est. *Invictumque virum vicit dolor.* Ovid. Met. 15.

Dicitur autem Ὀξύμωρον *Oxymóron*, ab ὀξὺ *acutum*, & μωρὸν *fatuum*, quasi dicas *acuti-fatuum*, quod *acutè* cum dictum sit, *fatuè* tamen dici videatur; sive quod quum *fatui* dici videatur, tamen *acutum* sit.

De Antimetathesi.

Quid est Antimetathesis?

Antimetathesis est figura, quâ oppositas sententias juxta se cum verborum inversione efferimus.

Ut Quint. l. 9. c. 3. *Non ut edam vivo, sed ut vivam, edo.* Boeth. de Consol. Phil. l. 2. Pros. 2. *Rotam volúbili orbe versamus, infima summis, summa infimis mutare gaudemus.* Petron. *Ancilla habuit matronæ superbiam, & matrona ancillæ humilitatem.*

Dicitur Ἀντιμετάθεσις, ab ἀντὶ *contra*, sive *è regione*, & μετατίθημι *transpono*, quod *contrarias*

rias ſententias cum verborum *tranſpoſitione* ex adverſo ſibi, ſive *è regione* collocet.

In *verborum* inverſione eſt *Epanodos*; in *rerum* contrarietate inverſis ſic verbis expoſitâ eſt Antimetatheſis.

N. *Huc fortaſſe accerſendæ ſunt illæ dicendi figuræ, quibus oppoſitæ ſententiæ juxta ſe poſitæ efferuntur, non quidem cum* verborum, *ſed tamen cum* caſuum *inverſione. Ut* Sen. Med. Ira pietatem fugat, iramque pietas. *Sic Boeth. de Conſol. Phil. l. 2. Proſ. 6.* Ita fit, ut non virtutibus ex dignitate, ſed ex virtute dignitatibus honor accedat. *Vide ſupra in Epanodo.*

Hanc figuram, ſc. Antimetatheſin alii dicunt Ἀντιμεταβολὴν *Antimetabolen*, ſc. ab ἀντὶ *ex adverſo*, & μεταβάλλω *inverto*, quod contrariarum ſententiarum, cum *verborum* vel *caſuum inverſione*, ex adverſo collocationem ſignificet.

Convenit figura hæc & *laudanti* & *reprehendenti*.

De Epiphonemate.

Quid eſt Epiphonema?

Epiphonema eſt figura, quâ ad rei explicatæ vel probatæ finem, pronunciatum aliquod generale ex ſuperioribus expreſſum, tanquam coronidem adjicimus.

Ut *Virg.* 1. *Æn.* poſt expoſitas omnes cauſas, quibus Juno Romanos perſecuta eſt, per modum *Epiphonematis* addit,

Tantæ molis erat Romanam condere gentem. Sic Georg. 2. *Adeo in teneris conſueſcere multum eſt.* Claud. l. 1. de Rapt. Proſerp. *Enumeratis*

cum

cum quibus rem habuiſſet *Jupiter*, ſubdit tandem *Pluto*, *Tibi tanta creandi copia. Juvenal. Sat.* 10. Poſt recitata Annibalis, Alexandri, Xerxiſque exitia, tandem cum hoc Epiphonemate concludit. *Has toties optata exegit gloria pœnas.*

Dicitur Ἐπιφώνημα *Epiphonéma*, ab ἐπιφωνέω *acclamo*, quòd ſit brevior quædam addita ad longiorem alicujus rei declarationem *acclamatio.*

N. *Epiphonemate vel comprehendimus rei* ſummam; *vel noſtræ addimus ſententiæ* firmitatem, *quaſi aculeum in auditorum animis relinquentes*; *vel alios* admiratione *quâdam afficimus.*

CAPUT XVI.

De Figuris quæ faciunt ad Exaggerationem.

Quot ſunt Figuræ ſententiæ quæ ad Exaggerationem faciunt?

Figuræ ſententiæ quæ ad Exaggerationem faciunt ſunt decem, Auxéſis, Tapinóſis, Litote, Paralipſis, Apophaſis, Incrementum, Decrementum, Paradoxum, Periphraſis, & Hirmus.

De Auxeſi & Tapinoſi, *vide lib.* 1. *c.* 18.

De Litote.

Quid eſt Litote?

Litote

Litote eſt figura, quâ contrarium negando, plus ſignificamus, quàm dicimus.

Ut, *Nec munera ſperno*, i. e. libenter accipio. *Non laudo*, i. e. culpo. *Non relinquet impunem Jehova eum, qui aſſumſerit nomen ſuum in vanum*, i. e. graviter puniet. *Poſtremas non feram*, i. e. feram primas. Sic apud *Horat.* vocatur Pythagoras, *Non ſordidus auctor Naturæ veriq;* i, e. præſtantiſſimus, *l.* 1. *Od.* 28. Cotta apud Ciceronem vocatur *Orator minimè ineptus*, i. e. ſummus. Sic apud *Virg. Me animo non ſpernis*, eſt, *amore complectéris*; *Gens non tarda pharetris*, eſt, *ſtrenuiſſima*; *Nec mihi diſpliceat*, eſt *valde placeat*; *Non inviſa munuſcula* ſignificant *acceptiſſima*. Vide Voſſ. Inſtit. Orat. l. 4. c. 10.

Dicitur Λιτότης *Litote*, à λιτὸς *tenuis*, quod hâc figurâ, quæ impenſiùs agimus, vel volumus, ea *tenuoribus* utentes verbis, minùs nos agere vel velle innuimus.

Huc fortaſſis referri poteſt alia quædam contraria huic dicendi figura, nempe quâ contrarium affirmando minus ſignificamus quàm dicimus.

Ut cum dicit *Horat. l.* 1. *Od.* 30. *Sperne delectam Cyprum*, ſenſus eſt, *eam minoris facito*. Sic Gen. 29. 31. & 33. *Lea dicitur eſſe exoſa*, i. e. minùs amata, ut apparet ib. ver. 30. Sic Luc. 14. 26. *Si quis non oderit patrem ſuum*, tantummodò ſignificat, ſi quis non minùs amaverit.

Quod

Quod ſi quis malit hunc dicendi modum referre ad Synecdochen Totius, quemadmodum prior pertinet ad Synecdochen Partis, non ego illi hac ex parte adverſabor.

De Paralipſi.

Quid eſt Paralipſis?

Paralipſis eſt figura, quâ nos ea præterire dicimus, quæ tamen diſertè in tranſcurſu enunciamus.

Ut ſi quis nepotis alicujus facinora particulatim enumerans, dicat ſe quædam præterire, ut tandem ad aliquod inſignioris notæ flagitium deveniat. Hujus generis eſt illud *Ciceronis* pro *Cluent.* *Mitto illam primam libidinis injuriam, mitto nefarias generi nuptias, mitto cupiditate matris expulſam matrimonio filiam.* Hujus formulæ ſunt, *prætereo, mitto, taceo, omitto, miſſa facio,* &c.

Dicitur Παράλειψις *Paralepſis*, à παραλείπω *prætermitto*, quod ſit forma quâ dicendo nos quædam *prætermittere dicimus.*

Convenit *laudanti, reprehendenti, confirmanti,* ac *refellenti.*

De Apophaſi.

Quid eſt Apophaſis?

Apophaſis eſt figura, quâ quæ maximè dicimus aut facimus, ea nos dicere aut facere negamus.

Ut ſi quis alteri adulteria ſua vel furta exprobans, hujuſmodi formâ dicendi utatur. *Non*

ego

ego te adulterum dico, non dico te furem, &c. Quomodo locutus est *Cicero* 1. *Verr. Nec eâ dico, quæ si dicam, tamen infirmare non possis. Sunt hæc & alia in te falsi accusatores signa, quibus ego non utor.*

Dicitur Ἀπόφασις *Apóphasis*, ab ἀπόφημι *nego*, quòd sit figura, quâ nos quædam dicere, vel facere negamus, ea nempe, quæ quàm maximè vel dicimus, vel facimus.

Paralipsis & Apophasis quandam Ironiæ speciem præ se ferunt.

De Incremento & Decremento.

Quid est Incrementum.

Incrementum figura est, quâ in dicendo ab imo ad summum, sive ab illo quod est levius, ad illud quod est gravissimum, quasi gradibus quibusdam pervenimus.

Ut *Cic.* in *Verr. Facinus est vincere civem Romanum, scelus verberare, prope parricidium necare, quid dicam in crucem tollere?*

D. *Cyprian. l.* 2. *Ep.* 6. Hic est agon fidei nostræ, quâ congredimur, quâ vincimus, quâ coronamur.

Dicitur *Incrementum* ab *increscо* (compositо ab *in* significante augmentum, & *crescо*) quod pro rerum gravitate sermo noster verborum pondere gradatim *increscat*.

Hanc figuram quidam dicunt Αὔξησιν, nec ineptè. Non incommodè tamen videtur, dicenda Ἀνάβασις *Ascensus*, ab ἀνὰ *sursum* & βάσις

βάσις greſſus, quod ſit figura, quâ ab eo quod eſt minus atque levius, gradatim ad id quod eſt maximum atque graviſſimum aſcenditur.

Quid eſt Decrementum?

Decrementum eſt figura, quâ in dicendo à ſummo ad imum, ſive ab eo quod eſt graviſſimum, ad illud quod eſt levius, quaſi quibuſdam gradibus deſcenditur.

Ut, *Nulla crux ibi fuit, nulla nex, nulla verberatio, imo ne cuſtodia quidem.* Cic. pro Muren. *Sic à me defenditur, ut ejus nulla perfidia, nulla crudelitas, nullum petulans dictum in vitâ proferatur.*

Dicitur *Decrementum* à *decreſco*, quod pro rerum conditione, ſermo noſter in dicendo verborum gravitate *decreſcat.*

Dico poteſt & hæc figura Κατάβασις *Deſcenſus*, à κάτω *deorſum* & βάσις *greſſus*, quòd ſit figurâ, quâ ab eo quod maximum atque graviſſimum eſt, gradatim ad id quod eſt minus atque levius *deſcenditur.*

De Paradoxo.

Quid eſt Paradoxum?

Paradoxum eſt figura, quâ poſtquam auditorum animos minus majuſve aliquid negando aliquantiſper ſuſpendimus, inopinatum ſeu inexpectatum aliquid, quod negato majus ſit, vel minus, ſubjicimus.

Ut *Terent. Heaut.* 5. 1. *In me quidvis harum rerum convenit, quæ ſunt dicta in ſtultum: Caudex,*

dex, ſtipes, aſinus, plumbeus: in illum nihil poteſt: nam exſuperat ejus ſtultitia hæc omnia. Sic Salvian. l. 7. de Gub. *Statuunt non furandum, & furantur: quamvis penè non poſſunt dicere quod furentur; non enim ſunt, quæ agunt furta, ſed latrocinia.*

Martial.

Mentitur qui te vitioſum Zoile dicit:
Non vitioſus homo es, Zoile, ſed vitium.

Dicitur Παράδοξον *Paradoxum*, à παρὰ *præter* & δόξα *opinio*, quod inter dicendum inopinatum aliquod *præter* auditoris *opinionem* inducat.

N. *Hanc figuram* Celſus (*ut auctor eſt* Quintilianus) Suſtentationem *vocat. Eſt autem duplex; nam contrà, frequenter cum expectationem graviſſimorum fecimus, ad aliquid quod ſit leve, aut nullo modo criminoſum deſcendimus.* Quint. l. 9. c. 2.

De Periphraſi.

Quid eſt Periphraſis?

Periphraſis eſt figura, quâ rem unam pluribus verbis tantundem ſignificantibus explicamus.

Ut ſi pro *Scipione* Carthaginis everſorem nomines; pro *Philoſopho*, virum ſapientiæ ſtudioſum; pro *Molli*, hominem caput digito uno ſcalpentem; pro *Rhetoricâ*, ornatè dicendi artem; pro *Tyranno*, legum ac libertatis civium oppreſſorem; pro *Hæredipetâ*, alienæ hæreditatis captatorem; pro *Ariſtotele*, Peripateticæ Scholæ Principem; pro *Ovidio*, Sulmonenſem Vatem, &c.

Dicitur Περίφρασις *Periphrasis*, à περὶ *circum* & φράζομαι *loquor*, quod pluribus illud verbis quasi *circumloquimur*, quod uno, vel paucioribus dici poterat.

N. *Utimur Periphrasi nonnunquam, ut* rem magis conspicuam *reddamus*; *ut* Virg. 1. Æn. *pro* Æneâ *dicit se canere* virum Trojæ qui primus ab oris Italiam fato profugus Lavinaque venit littora, *&c.*

Interdum ut rem minus honestam dictu *obumbremus*; ut cum apud nostrates dicunt velle se *ligulam distringere*, vel *alvum levare*, quibus in animo est cacare. Sic *Plaut. Curc. a.* 2. *Sc.* 3. *Me dico ire quò saturi solent.* Hoc cum sit, *Euphemismus* dicitur, de quo infra.

De Hirmo.

Quid est Hirmus?

Hirmus vel Syrmus est figura, quâ multæ res naturâ diversæ congeruntur, sive simul enumerantur.

Ut *Juv.* 3. *Sat.*

Grammaticus, Rhetor, Geometres, Pictor, Aliptes, Augur, Schænobates, Medicus, Magus omnia novit.

Cic. pro *Ligar. Ut enim cætera paria Tuberoni cum Varo fuissent, honos, nobilitas, splendor, ingenium, quæ nequaquam fuerunt; hoc certè præcipuum Tuberonis fuit, quod,* &c.

Senec. Med. 3. 1. *Omnis specimen affectus capit, hæret, minatur, æstuat, quæritur, gemit.*

Dicitur Εἱρμὸς *Hirmus*, ab εἴρω (quod etiam dicitur *aspiratè proferri* ἵρω) *necto*, quod sit plurium

plurium in unam quaſi rerum congeriem *nexus*.

Differt Hirmus à Synonymia, quod Synonymia congerat voces ſignificantes *idem*; Hirmus, *diverſa*.

CAPUT XVII.

De Figuris in concitandis affectibus.

Quot ſunt Figuræ, quibus utimur in affectibus concitandis?

Figuræ quibus in affectibus concitandis, utimur, ſunt viginti, Ecphonéſis, Apória, Epanorthóſis, Apoſiopéſis, Sermocinatio, Proſopopœia, Erotéſis, Apóſtrophe, Pæaniſmus, Sarcaſmus, Diaſyrmus, Charientiſmus, Aſteiſmus, Euphemiſmus, Miméſis, Execratio, Obſecratio, Admiratio, & Votum.

De Ecphonéſi.

Quid eſt Ecphonéſis?

Ecphonéſis ſive Exclamatio eſt figura, quâ ad rei magnitudinem ſignificandam, adeoque affectum in aliis commovendum, orationi noſtræ interjectionem aliquam intermiſcemus, eamque contentiori voce efferimus.

Ut *Cic.* in *Cat.* *O tempora! O mores!* Id. Off. *O domus antiqua! heu! quàm diſpari domino dominaris!* Virg. *O fortunatos nimiùm bona ſi ſua nôrint agricolas.* Ter. Ad. 5. 3.

O terra! O maria Neptuni!

Interjectio aliquando ſubintelligitur. Ut Virg. Ecl. 1. *Fortunate ſenex, ergo tua rura manebunt.*

Dicitur Ἐκφώνησις *Ecphonéſis*, ab ἐκφωνέω *altam vocem edo*, quòd exclamantes *altiorem* ſolito *vocem edant*.

Ecphonéſis præcipuum habet locum in Epilogis, non uſurpanda niſi magnis in rebus perſuadendis.

De Aporiâ.

Quid eſt Aporia?

Aporia ſive Dubitatio eſt figura, quâ ſignificamus animum noſtrum pendere, nec invenire quid dicendum, vel agendum ſit.

Ut *Cic.* pro *Cluent. Equidem quod ad me attinet, quo me vertam, neſcio. Negem fuiſſe illam infamiam judicii corrupti? negem illam rem agitatam in concionibus? jactatam in judiciis? commemoratam in ſenatu, &c.* Virg. Æn. 3. *Eloquar? an ſileam?*

Dicitur Ἀπορία *Apória*, ab ἀ privativo ſignificante *non*, & πόρος *via*, quod hâc figurâ ſignificamus nos *viam non invenire*, quâ nos iis, quibus coarctamur ſermonis, vel rerum anguſtiis, extricemus.

N. *Magnam habet hæc figura vim, cum ad rem* amplificandam, *tum ad auditorem* attentum *reddendum: quâ utimur cum in* laudando, *tum in* reprehendendo; *tam* dolentes, *quàm* timentes. *Tum autem fortiſſimè affectus movet, quando per Interrogatiunculas quaſdam nobiſmet ipſis Dialogi ritu propoſitas inſtituitur.* De

De Epanorthoſi.

Quid eſt Epanorthoſis?

Epanorthoſis ſive Correctio eſt figura, quâ quod à nobis jam dictum eſt, revocamus, pro eoque aliud quiddam magis dictu idoneum ponimus.

Ut *Ter. Heaut.* 1. 1. *Filium unicum adoleſcentulum habeo, ah, quid dixi? habere me? imo habui Chreme. Nunc habeam, necne incertum eſt.* Cic. pro Ligar. *Quæ fuit igitur unquam in ullo homine tanta conſtantia? conſtantiam dico? neſcio an meliùs patientiam poſſem dicere?*

Dicitur Ἐπανόρθωσις *Epanorthósis*, ab ἐπανορθόω *corrigo*, ſive *emendo*; quòd hâc figurâ aliquid minus aptè vel oppoſitè à nobis dictum *corrigimus*, magiſque *emendatè* vel oppoſitè dicimus.

De Apoſiopéſi.

Quid eſt Apoſiopéſis?

Apoſiopéſis ſive Reticentia eſt figura, quâ inchoatum ſermonis curſum ita abrumpimus, ut ſubobſcurè tamen innuamus, quid dicere velimus.

Ut *Ter. And.* 1. 2. *Quem quidem ego ſi ſenſero; ſed quid opus eſt verbis?* Id. Eun. *Ego te, furcifer, ſi vivo. Sed iſtud quicquid eſt primùm expedi.* Virg. Ecl. *Novimus & qui te*— Id. Æn.

Quos ego, ſed motos præſtat componere fluctus.

Dicitur Ἀποσιώπησις *Apoſiopéſis*, ab σιωπάω

reticeo, quod hâc figurâ quædam, quæ dicenda erant, *reticeantur*.

Convenit figura hæc *iraſcenti*, *minanti*, *dolenti*, câque utimur ob *pudorem*, *malum omen*, & *gravitatem*; quæ item dicitur conferre ad *ſollicitudinem* & *religionem*.

N. *Apud Comicos Apoſiopéſis dicitur, cum ſermo alterius etiam interpellatione abrumpitur.* Ter. And. 5. *Jubeo Chremetem.* Chr. *O, teipſum quærebam.*

De Sermocinatione.

Quid eſt Sermocinatio?

Sermocinatio eſt figura, quâ alienæ perſonæ ſermonem, ſeu verum ſeu fictum, in oratione noſtrâ recitamus.

Ut *Cic.* pro *Roſc. Cum hoc modo accuſas, Eruci, nonne hoc palam dicis? Ego quid acceperim, ſcio: quid dicam neſcio; unum illud expectavi, &c.*

Dicitur *Sermocinatio* à *Sermocinor*, quod hâc figurâ quaſi cum alio *ſermocinamur*, ſeu *ſermones* inſtituimus.

N. *Sermocinatio omnis aptè inſtituta; orationi* fidem *conciliat; eſt autem illa maximè propria hujus loci figura, quâ* ſermo *alicui affingitur.*

De Proſopopœiâ.

Quid eſt Proſopopœia?

Proſopopœia eſt figura, quâ aut perſonam mortuam tanquam vivam præſentemque loquentem inducimus; aut perſonam facimus è non perſonâ, ſive tribuendo ei ſermonem, ſive compel-

compellando eam, quasi intelligat.

Prioris generis extat exemplum in Oratione *Cic.* pro *Cælio*: Ubi Orator *Appium Cæcum*, quasi à mortuis excitatum suâ in Oratione loquentem inducit. *Existat igitur* (inquit Cic.) *ex hâc ipsâ familiâ aliquis, ac potissimùm cæcus ille* (minimum enim dolorem capiet, qui istam non videbit) *qui profectò, si extiterit, sic aget, & sic loquetur: Mulier, quid tibi cum Cælio? quid cum homine adolescentulo? quid cum alieno?* &c.

Posterioris est generis cum *Cicero* in Orat. adversus *Catilinam* patriæ personam fingit, eamque cum Catilinâ loquentem sic inducit. *Quæ tecum, Catilina, sic agit, & quodammodo tacita loquitur: Nullum jam tot annos facinus exstitit, nisi per te, nullum flagitium sine te*, &c. Huc referendum cum res ratione destitutus, quasi personas intelligentes alloquimur.

Ut *Cic. Vos agri, vos parietes obtestor, annon sudabatis, cum tantum nefas hoc loci perpetrabatur?* Id. *O domus antiqua, heu, quàm dispari domino dominaris?* 1 Reg. 13. 2. *Et exclamavit contra altare, in sermone Domini, & ait, Altare, altare, hæc dicit Dominus*, &c. Esaiæ 1. 2. *Audite cœli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est.*

Dicitur Προσωποποιία *Prosopopœia*, à πρόσωπον *persona*, & ποιέω *facio*, quod hâc figurâ de non existente personâ, *personam* quasi existentem *facimus*.

De

De Erotési.

Quid est Erotésis ?

Erotésis est figura, quâ id quod sine interrogatione proferre possumus, interrogando exquirimus.

E. g. Potuisset *Cicero* dicere, patent *Catilina* tua consilia : conjuratio tua omnium conscientiâ constricta tenetur : quid egeris, nemo ignorat. Sed ut magis instaret, urgeretque dixit potiùs interrogativè. *Patere tua consilia non sentis ? constrictam jam omnium horum conscientiâ teneri conjurationem tuam non vides ? quid proximâ, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consilii ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris.*

Dicitur Ἐρώτησις, ab ἐρωτάω *interrogo*, quòd hâc figurâ, quæ dici rectè possunt sine ullâ Interrogatione, ea *interrogativè* efferimus.

N. *Erotésis affirmativa vehementiùs negat : Negativa vehementiùs affirmat.*

Convenit *asseveranti, miseranti, instanti,* seu *urgenti, indignanti, admiranti, dubitanti.* Valet item ad *probationem,* ad *attentionem,* & *varietatem.*

De Apostrophe.

Quid est Apostrophe ?

Apostrophe sive Aversio est figura, quâ in cursu orationis ab eâ personâ, quam alloqui cœperamus, ad aliam aliquantisper compellandam sermonem nostrum avertimus.

Ut

Ut *Cic.* pro *Murænâ*, à *Judicibus* ad quos orationem instituerat, ad *Catonem* se convertens dicit, *A quo tandem Marce Cato est æquius consulem defendi, quàm à consule?* &c.

Dicitur Ἀποστροφὴ *Apostrophe*, ab ἀποστρέφω *averto*, quod sit sermonis nostri ab uno ad alium *aversio*.

N. *Apostrophe fit ad* deos, homines, bestias, mutas, & inanimatas res, *ad quas velut* personas *orationem transferimus.*

Valet hæc figura, cum ad *urgendum*, tum ad *invocandum*; convenitque cum *reprehendenti*, tum *refutanti*; maximè autem *dolenti*, præsertim si oratio convertatur, vel ad personas absentes, vel ad res inanimatas.

De Pæanismo.

Quid est Pæanismus?

Pæanismus est figura, quâ in alio lætitiam nos ipsi lætabundi excitare nitimur.

Ut *Catul.* 5. Epig. *Vivamus, mea Lesbia, atque amemus.*

Dicitur Παιανισμὸς *Pæanismus*, à παιανίζω *Pæanem cano*, quòd hâc figurâ lætitiæ voces, instar eorum, qui victoriâ parta, *Pæanem* sive hymnum in laudem Apollinis canunt, efferamus.

De Sarcasmo.

Quid est Sarcasmus?

Sarcasmus est figura, quâ aut jam mortuum, aut certò moriturum hostiliter irridemus.

Ut,

Ut, *Satia te sanguine, Cyre. Ave Rex Judæorum.* Virg. Æn. 12. *En agros, & quam bello, Trojane, petisti Hesperiam, metire jacens.* Sic *Turnus Eumedi insultat.*

Sic *Ovid. Hoc quod premis, inquit, habeto, de tot agris terræ.*

Dicitur Σαρκασμὸς *Sarcasmus*, à σαρκάζω *ossa rictu diducto carne nudo*, quod hâc utentes figurâ amarulentos in hostem jocos jaciant, *ore ferè ad instar canum ossa carne suâ denudantium diducto.*

De Diasyrmo.

Quid est Diasyrmus?

Diasyrmus est figura, quâ alios inimicè quidem, sed extra cædem illudimus.

Ut *Virg. Æn.* 11. inducit *Turnum* inimico suo Drance amarè sic illudentem. *Larga quidem semper tibi, Drance, copia, fundi, tum cum bella manus poscunt.*

Dicitur Διασυρμὸς *Diasyrmus*, à διασύρω *lacero, probris & conviciis incesso*, quòd hâc figurâ inimicum *probris & conviciis laceramus.*

De Charientismo.

Quid est Charientismus?

Charientismus est figura, quâ dura minantem irrisoriè mollibus deprecamur verbis.

Ut cum *Davus* à *Simone* ei pistrinum minante, *bona verba dari* rogat.

Ut dicimus Anglicè, *Be good in your office: Pray be good to those you cannot hurt.* Dii meliora.

Dici-

Dicitur Χαριεντισμὸς *Charientiſmus*, à χαριεντίζομαι *lepidè jocor*, quòd hâc figurâ, eum, qui nobis dura minatur, lepidè *jocoſis verbis* lenire niti videmur.

De Aſteiſmo.

Quid eſt Aſteiſmus?

Aſteiſmus eſt figura, quâ quis in aliquem urbanè, ſed falsè jocatur.

Ut cum dixit *Nero* de furace ſervo, nihil eſſe ei *clauſum*, neque *ſignatum*. Item cum *Vibius Criſpus*, rogatus eſſet ne quis intus cum *Cæſare Domitiano*, reſpondit, *Ne muſca quidem*.

Dicitur Ἀστεϊσμὸς *Aſteiſmus*, ab ἀστείζομαι *urbanitate ſermonis utor*, quòd hâc figura in aliquem, falsâ quâdam cum *ſermonis urbanitate* jocamur.

De Euphemiſmo.

Quid eſt Euphemiſmus?

Euphemiſmus eſt figura, quâ rem malam, voce bonâ proferimus.

Ut cum bona aliena largiri liberalitas vocatur; aut malarum rerum audacia fortitudo dicitur. Apud *Sal. Catilin.* Sic *Petron. Ego tamen & ipſi meæ dominæ ſatisfaciebam.* Ubi honeſto vocabulo rem turpem èloquitur.

Dicitur Εὐφημισμὸς *Euphemiſmus*, ab εὐφημίζω *bona verba dico*, quòd hâc figurâ res non bonas *bonis verbis* dicamus: ſive quòd rem vel *turpem honeſtâ voce* nominemus, vel minùs honeſtam honorificentiori appellatione vocemus.

Vide

Vide *Periphrasin* supra *Cap.* 16.

De Miméſi.

Quid eſt Miméſis?

Miméſis ſive Imitatio eſt figura, quâ quæ ab alio dicta ſunt, deriſoriè imitamur.

Inſigne hujus Mimeſeos exemplum extat apud *Ter. Ad.* 3. 3. ubi connumerat *Demea Syro* ſervo præcepta, quibus *Cteſiphonem* filium ſuum inſtruxerat. *Fit ſedulo, inquit, nihil prætermitto, conſuefacio; denique inſpicere, tanquam in ſpeculum, in vitas omnium jubeo, atque ex aliis ſumere exemplum ſibi, hoc facito, hoc fugito; hoc laudi eſt, hoc uitio datur.* Hæc ab illo dicta ſtatim *Syrus* ad rem ſuam culinariam transfert, eumque ſic deriſoriè imitatur.

Quod queo conſervis ad eundem iſtunc præcipio modum. Hoc ſalſum eſt, hoc aduſtum eſt, hoc latum eſt parum, illud rectè; iterum ſic memento, ſedulo moneo, quæ poſſum, pro meâ ſapientiâ; poſtremo tanquam in ſpeculum, in patinas Demea, inſpicere jubeo, & moneo quid facto uſus ſit.

Dicitur Μίμησις *Miméſis*, à *μιμέομαι imitor*, quòd ſermone noſtro alienum ſermonem ſed deriſoriè *imitamur*.

N. *Fortaſſe & directa verborum alicujus imitatio ſine ullâ prorſus deriſione Miméſis dici poteſt.*

De Execratione.

Quid eſt Execratio?

Ἀρά ſive Execratio eſt figura, quâ nos alii malum aliquod imprecamur.

Ut

Ut *Cic.* Fam. l. 11. *Dii iſti Segulio malè faciant.*

Dicitur Ἀρὰ *Ara*, ab *Hebræo* אָרַר maledixit, quòd qui imprecatur maledicat.

De Deéſi ſeu Obſecratione.

Quid eſt Deéſis ſive Obſecratio?

Δέησις ſive Obſecratio eſt figura, quâ quod ab alio conſequi volumus, ab illo vehementi prece contendimus.

Ut *Ter.* And. 1. 1. *Quod ego per hanc te dextram oro.*

Ovid. Met. 13. f. 1.

Per Spes nunc ſociæ, caſuraque mœnia Troum,
Perque deos oro, quos hoſti nuper ademi,
Per, ſi quid ſupereſt, quod ſit ſapienter agendum,
Eſſe mei memores.

Dicitur Δέησις *Deéſis*, à δέομαι *precor*, quòd qui hâc figurâ utitur multâ alium *prece* proſequitur.

N. *Convenit hæc figura* dolenti, commendanti, hortanti, *ac* timenti *etiam, quatenus opem implorat.*

De Thaumaſmo ſeu Admiratione.

Quid Thaumaſmus ſeu Admiratio?

Thaumaſmus ſeu Admiratio eſt figura, quâ nos rem aliquam admirari, interpoſitâ aliquâ admirandi particulâ ſignificamus.

Ut, *O rem facetam! & riſu dignam Catoniano!* *Cic.* pro *Lig.* *O clementiam admirabilem, atque omnium laude, prædicatione, literis, monumentiſque decorandam.*

Dicitur

Dicitur Θαυμασμὸς seu *Admiratio*, à θαυμάζω *admiror*, quòd sit dicendi modus, quo utimur ad demonstrandum nos aliquid *admirari*.

N. *Convenit* laudanti, reprehendenti, irridenti.

De Voto.

Quid est Votum?

Εὐχὴ sive votum est figura, quâ optamus aut aliquid ex sententiâ nostrâ accidere, aut aliquid quod non acciderit, cecidisse.

Ut *Ovid.* 1. Met.

O utinam possem populos reparare paternis
Artibus, atq; animos formatæ infundere terræ.

Id. 1. Ep.

O utinam tunc cum Lacedæmona classe petebat
Obrutus insanis esset adulter aquis!

Dicitur Εὐχὴ *Votum*, ab ἔυχομαι *opto*, quia continet id, quod ex voto nostro vel accidere, vel cecidisse *optamus*.

N. *Convenit* dolenti, timenti, speranti.

CAPUT XVIII.

De Figuris quæ faciunt ad Dispositionem.

Quot sunt figuræ Sententiæ, quæ Orationis dispositionem ornant?

Figuræ Sententiæ, quibus exornatur Orationis dispositio quinque sunt, Metábasis, Apodioxis,

xis, Parecbasis, Anachorésis, & Epanacléſis.

De Metábasi.

Quid est Metábasis?

Metábasis ſive Tranſitio eſt figura, quâ ab aliâ orationis parte, ad aliam tranſimus.

Hæc vel *imperfecta* eſt, vel *perfecta*.

Imperfecta eſt, quâ dicitur vel quid dictum ſit, vel quid dicendum fuerit. *Prioris generis* eſt illud *Salluſtii* apud *Jug. De Africâ & ejus incolis, ad neceſſitudinem rei ſatis dictum. Poſterioris* eſt illud *Cic.* pro *Roſc. Amer. Age nunc illa videamus, judices, quæ conſecuta ſunt.*

Perfecta eſt, quâ dicitur tam de quo dictum ſit, quàm de quo dicendum erit. Ut *Cic. 2. de Off. Sed expoſitis adoleſcentium officiis, quæ valeant ad gloriam adipiſcendam, deinceps de beneficentiâ, ac liberalitate dicendum eſt.*

Dicitur Μετάβασις *Metábasis*, à μεταβαίνω *tranſeo*, ut quæ aliud nihil ſit, quàm formula *tranſeundi* ab unâ orationis parte ad aliam.

N. *Reddit hæc figura Orationem* perſpicuam, *Auditorem* attentum.

De Apodioxi.

Quid eſt Apodioxis?

Apodioxis ſive Rejectio eſt figura, quâ aliquid vel omnino ab oratione noſtrâ removemus, vel in alium locum, aut tempus rejicimus.

Prioris generis eſt illud *Cic.* pro *S. Roſc. Permulta ſunt, quæ dici poſſunt, quare intelligatur ſummam tibi facultatem fuiſſe maleficii ſuſpicien-*

di: quæ non idcirco prætereo, quod te ipsum non libenter accuso: verùm eo magis etiam, quod si de illis cædibus velim commemorare, quæ tum factæ sunt istâ eadem ratione, quâ S. Roscius occisus est, vereor ne ad plures oratio mea pertinere videatur.

Huic tum locus est, cum quid est *leve* ac *nugatorium*; vel per se *planum* & *apertum*; vel Auditoribus *odiosum*; vel ab instituto *alienum*.

Posterioris est illud *Cic.* pro Lege Manil. *Sed de Lucullo dicam alio loco.*

Et illud *Cic.* 2. de Orat. *Sed nunc quidem, quoniam id temporis est, surgendum censeo, & requiescendum: post meridiem si ita vobis est commodum, loquemur aliquid, nisi fortè in crastinum differre mavultis.*

Item 1. Tusc. *Sed nunc quidem valetudini tribuamus aliquid, cras autem, & quot dies erimus in Tusculano, agamus hæc, & ea potissimùm, quæ levationem habeant ægritudinum, formidinum, cupiditatum; qui omni è Philosophiâ est fructus uberrimus.*

Hoc ad Orationis *perspicuitatem* facit.

Dicitur Ἀποδιώξις *Apodioxis*, ab ἀποδιώκω *aliquo ex loco expello*, quod aliquid ab oratione nostrâ omnino, vel in aliud tempus, locumve rejicientes, illud inde in præsenti quasi *expellere* videmur.

De Parecbasi, seu Digressione.

Quid est Parecbasis?

Parecbasis seu Digressio est figura, quâ significamus

camus velle nos extra ordinem ad alicujus rei tractationem excurrere, quæ tamen ad cauſæ utilitatem pertineat.

Ut *Cic.* in *Verr.* *Atque adeò antequam de incommodis Siciliæ dico, pauca mihi videntur eſſe, de provinciæ dignitate, vetuſtate, utilitate dicenda.*

Dicitur Παρέκβασις *Parécbaſis* ſeu *Digreſſio*, à παρεκβαίνω *digredior*, quòd ſit formula quædam, quâ ab eâ in quâ ſumus materiâ, *digredimur* ad aliam, quâ de par eſt ut dicamus, commodè captâ ad illud occaſione.

Digreſſio nec debet eſſe *longior*, nec à propoſito *aliena*.

De Anachoréſi, ſeu Regreſſione.

Quid eſt Anachoréſis?

Anachoréſis ſeu Regreſſio eſt figura, quâ poſt peractam Digreſſionem velle nos ad rem redire ſignificamus.

Ut *Cic.* pro *Mur.* *Quare, ut adid, quod inſtitui revertar.* Id. l. 2. de Orat. *Sed ut eò revertatur, unde hæc declinavit oratio.* Hor. l. 1. Ser. 1. *Illuc, unde abii, redeo.*

Dicitur Ἀναχώρησις *Anachoréſis* ſeu *Regreſſio*, ab ἀναχωρέω *revertor* ſeu *regredior*, quod ſit quædam dicendi formula, quâ nos ad rem eandem jam *reverti* atque *regredi* dicimus, unde ſumus paulò ante digreſſi.

N. *Hic ad rem poſt peractam Digreſſionem reditus, etiam* Ἐπάνοδος *dicitur.*

De Epanacléſi, ſeu Revocatione.

Quid eſt Epanacléſis ſeu Revocatio?

Epanacléſis ſeu Revocatio eſt figura, quâ orationem ad principium revocamus.

Ut, *Sed nimis hâc de re multa, quare in gyrum contraham orationem.*

Dicitur Ἐπανάληψις *Epanacléſis*, ab ἐπαναλαμβάνω (compoſito ab ἐπὶ *in* vel *ad*, ἀνὰ *re* & καλέω *voco*) i. e. *revoco*, quòd hâc figurâ rem de quâ jam diu diximus in ſermonem noſtrum rurſus, ſed ſummatim dicendam *revocamus*.

N. *Figuræ huic tum eſt locus, cùm aliquâ in re* longiores *fuimus.*

Atque hæc de internis Orationis Ornamentis.

CAPUT XIX.

De Pronunciatione.

QUænam ſunt externa Orationis Ornamenta?

Externa Orationis ornamenta duo ſunt, *Pronunciatio* ſeu vocis prolatio, & *Actio* ſeu corporis geſtus.

N. *Pronunciationis vox aliquando rem totam, tam* vocis modulationem, *quàm* corporis moderationem *comprehendit. Unde à* Cicerone *definitur*, Vocis & vultus & geſtus moderatur cum venuſtate. Heren. l. 1. *Aliquando autem ſumitur pro* alterâ *tantum rei hujus* parte, *ſcilicet* vocis enunciatione *ſive* prolatione, *præſertim ut apud noſtrates vis vocis obtinet.*

¶ Longè

¶ Longè melius docentur utráque hæc orationis ornamenta vivâ Inſtitutoris voce geſtuque, quàm ullis Rhetoricæ Artis præceptiunculis. Quocirca in illâ potiſſimùm parte cenſuerim eſſe incumbendum dicendi Præceptoribus. Interim non abs re fore judico, ſi antequam Præceptores aggrediantur laborem docendi pueros, quonam debent vel vocis tono, vel corporis geſtu orationem proferre, in primis id operam dent, ut docendi pueri, tam *cantandi*, quàm *ſaltandi* artibus ſaltem leviter imbuantur. *Illinc* vocis, *hinc* corporis moderationem addiſcent, adeoq; nullo poſt negotio, ad rectam orationis pronunciationem inſtituentur; quam aliâs multi difficillimè, quidam nunquam aſſequuntur.

De Obſervandis in Pronunciatione.

Quid eſt in Pronunciatione ſive vocis prolatione obſervandum?

Obſervandum eſt in Pronunciatione ſive vocis prolatione.

1. Ut oratio non eodem perpetuo tenore, ſed gratâ vocis varietate proferatur.

2. Ut ne vox nimis intendatur, nimiſve deprimatur.

3. Ut ſingulæ cujuſq; dictionis ſyllabæ, præſertim extrema diſtinctè ac clarè proferatur.

4. Ut Emphatica aliaque præcipuæ notæ verba, Tropi, Figuræque inſigniores, præſertim Antitheta, ſeu ſibi invicem reſpondentia, altiori vocis tono ſonoque efferantur.

5. Ut

5. Ut ſit vox *quantum ad orationis partes*; (1) in *Exordio* ſubmiſſa & verecunda; (2) in *Narratione* ſimplex & aperta; (3) in *Poſitione* tardior & elatior; (4) in *Confirmatione*, ſi *explicamus*, recta & media inter acutum & gravem; ſi *probamus*, gravis, agilis, acris; ſi *amplificamus*, contenta fortis & penetrans; (5) in *Confutatione*, vehementior & ſeverior; & ſi Ironicè quid efferendum ſit, jocoſa; (6) in *Epilogo* excitata quaſi partâ victoriâ.

6. Ut ſit vox *ratione affectuum*; (1) in *Miſeratione*; flexibilis, plena, interrupta, flebilis; (2) in *Iracundiâ*, acuta, incitata, crebrò interrupta, nutans, vacillans, & verba quaſi tertiata proferens; (3) in *Metu* & *Verecundiâ*, contracta, demiſſa, hæſitans, & abjecta; (4) in *Voluptate*, lenis, tenera, effuſa, hilaris, remiſſa; (5) in *Dolore*, 1. *ſine commiſeratione*, gravis, & obducta ſono & preſſu imo, 2. *cum commiſeratione*, triſtis, blanda, ſubmiſſa; (7) in *blandiendo*, fatendo, rogando, ſatisfaciendo lenis & ſubmiſſa; (8) in *ſuadendo*, *monendo*, *promittendo*, gravis ac fortis; (9) in *conſolando*, triſtis, blanda, ac ſubmiſſa; (10) in *laudando*, *Gratias agendo*, & ſimilibus, læta, magnifica, & ſublimis; (11) in *interrogando*, præſertim ſi per *Erotéſin* inſtamus vel urgemus, admiramur vel indignamur, acuta & vehemens.

Atque hæc breviter de vocis prolatione.

CAPUT

CAPUT XX.

De Corporis Actione.

Quid eſt in actione ſive corporis geſtu obſervandum?

In Actione ſive corporis geſtu, obſervandum eſt.

1. Quoad *corpus totum.* (1) Ut ſtatus ejus ſit erectus. At ſi in coronâ vel ex pulpito perorandum aliqua ejus inclinatio vel in latera flexio non dedecebit. (2) Ut nec immobile inſtar trunci ſtet, nec agitetur inſtar rami à ventis impulſi.

2. Quoad *ſingulas corporis partes*, ut decorus earum geſtus teneatur. (1) *Vultus*, ad quem frontis oculorumque conformatio pertinet, pro rerum naturâ ſit lætus, triſtis, blandus, minax, erectus, demiſſus.

Oculis apertis ſignificari dicitur favor; *immotis & blandis* fiducia; *immotis & rigidis* vehementia; *conniventibus* diſſimulatio, expectatio, admiratio.

Naſus, non niſi in ſubſannationibus ſuſpendendus ſive criſpandus, quod cum fit *Myckeriſmus* dicitur.

Caput, ad ſignificandam modeſtiam, verecundiam, humilitatem, demittatur; cæterà, quæ in bonâ præſertim causâ erigatur.

Cervix

Cervix erecta ſit, nec tamen rigida.

Humeri, ne nimis ſimul alleventur, nec ſeorſim, alternatimque in tergum reducantur.

Brachia, niſi in vehementi affectu non projicienda; dextrumque potius, quàm ſiniſtrum brachium geſtum conficiat.

Manus à ſiniſtro latere optimè incipit, à dextro deponitur.

Pectus feriendum non eſt, uti nec *femur*.

Pedibus non alternatim inſiſtendum; nec in dextrum lævumque latus, quaſi quis è lintre peroraret, vacillandum. *Pedum ſuppoſio* Scenicis, quàm oratoribus accommodatior eſt.

Cui iſta non ſufficiunt, plura is videat, apud *Ciceronem*, l. 3. ad Heren. *Quintilian.* l. 11. c. 13. *Willichium* de Pronunciatione. *Voſſium* in Inſtitut. Oratoriis, *Butlerum*; alioſque plurimos. Nos hæc paucula delibaſſe contenti, manum jam in præſens de tabulâ tollimus.

FINIS.

Troposchematologiæ
RHETORICÆ
LIBRI DUO,

W. 6. 49

Quorum prior agit de

TROPIS,

ALTER DE

FIGURIS
RHETORICIS,

Quæstionibus & Responsionibus Concinnati; Notisq; brevioribus Illustrati.

A. *Guilielmo Walker*, S. T. B.
Scholæ *Granthamiensis* in Agro *Lincolniensi* Magistro.

Editio Secunda priori auctior, elucidior, emendatior.
Δευτέραι φροντίδες σοφώτεραι.

LONDINI,
Typis *J. Macock*, impensis *Josephi Clark*, sub signo Stellæ in viço vulgò vocato Little Britain. 1672.

191.14

Viro Cum Primis Reverendo

Dno THOMÆ PIERCE

SACRÆ THEOLOGIÆ

DOCTORI, &c.

Guilielmus Walker πανυδαμονεῖν.

Reverende Vir,

NEC mihi primùm edituro, neque ſecundùm edenti, meos hoſce de *Tropoſchematologiâ Rhetoricâ* Libros, diu deliberandum erat, cujuſnam potiſſimùm Nomini iſtos dedicarem. Hoc etenim omne, quantumcunque id eſſet, ſive Honoris, ſive Officii, Tibi in primis à me præſtari, cum præcellentes *Virtutes* Tuæ, tum perilluſtria Tua in me *Beneficia*, ſuo quaſi jure poſtulabant. Quæ quidem utraque ſunt ejuſmodi, ut cum nullo tacenda modo eſſe videantur, publicè tamen, ac pro merito de iis dicere pertimeſcam. De *Virtutibus* quidem Tuis vereor dicere, ne Venerando Nomini Tuo vel *Invidiam* faciam, vel

Injurius existam. *Invidiam* quippe faciam, si paulum modò quid amplius dixero, quàm alii, vel de Te credituri sunt, vel sibi de seipsis conscii erunt. *Injurius* autem existam, si quâ in re quid minus dixero, quàm par est tanto de viro dici, cui virtutes sic omnes insunt, ut singulæ emineant. De *Beneficiis* item Tuis dicere vereor, ne, dum videri non ingratus conor, magnarum mole rerum penitus opprimar: cum Tua meas merita laudes longè exsuperent, multoque sint majora Tua in me *Beneficia* amplissimis meis omnibus gratiarum actionibus.

Quum verò tot & tantas *Virtutes* Tuas, tot [illegible]a Tu[illegible] me *Beneficia*, si nullo exculta m[illegible] dimi[illegible], abesse non possit, quin omnium po[illegible] nomines natos ingratorum ingratissimus evadam, Tuo proinde Nomini conscriptum hoc à me Opusculum consecratum, eo, quò existat publicum, utinam confiat item æternum, quà Tuæ in me quàm amplissimæ *Beneficentiæ*, quà meæ erga Te quàm debitissimæ *Observantiæ* Monumentum.

Multò multò nobilius, magisque augustum à me poscebant Monumentum Tuæ illæ tum *Virtutes*, tum *Beneficia*. Cæterùm, consultis tandem facultatulis meis, illud Tibi offerre sum ausus munusculum, non quod Tuæ esset *Dignitati* aptissimum, sed quod meæ erat *Parvitati* convenientissimum. Quod quidem si Tua æqui bonique fecerit *Humanitas*, in ipso tantùm

tùm non cœlo me collocatum arbitrabor.

De cætero, *Reverentiæ Tuæ*, Tuisque omnibus vitam, salutem, incolumitatem, honorem, & quæcunque alia fausta, feliciaque fuerint, cœlitus donari intimis, ardentissimis animi mei votis precor, & exposco. *Tutelæ* deinceps Tuæ, quicquid hoc Opusculi est, humiliter committo & commendo. Supplicibusque à Te quæso, & contesto precibus, ut quemadmodum es dignatus operis *Auctori* esse Patronus, ita & digneris Auctoris *Operi* patrocinari. Hoc si feceris, quod ut Te facturum sperem, monet me, ac jubet Tua, non vulgaris quidem, sed singularis quædam *Humanitas*, id es mihi facturus, quo, quod fieri possit mihi gratius, nihil est. Vale tandem in Christo, ac salve plurimùm, admodum Reverende Domine, æternùm celebrande Patrone; & quâ es adhuc benevolentiâ complexus, eâ complecti usque propitius pergas

Granthamiæ,
XIV. Cal. Jul.
Ann. Dom.
1672.

Humillimum, devotissimum
Reverentiæ Tuæ
Servulum ac Clientulum

Guilielmum Walker.

Præfatio ad Lectorem.

Lector Humane,

QUum varii sint Artis Rhetoricæ Scriptores, qui nostris in Scholis hoc tempore versantur, illorum tamen omnium, saltem quorum videndi adhuc mihi copia contigit, ne quidem unus existit ullus in nostræ usum pueritiæ conscriptus, qui mihi per omnia satisfaciat. *Vel enim*, breves dum esse volunt, *ita rem, præcipuè Troporum*, obscurè *in plerisq; tractant, ut puerorum intellectum prorsus excedant*; *Vel* Methodo *ita* præposterâ *tradunt, ut Troporum* Generibus Affectiones *præmittant, & ignotum per ignotius intelligendum exhibeant*; *Vel denique aut* Logicâ *Rerum*, *aut* Etymologicâ *Nominum* Explicatione, *sine quâ haud est ut quis in Arte hac percipiendâ multùm proficiat, omnino, aut magnâ ex parte deficiunt.* Quod cum vidissem, seriòque apud me sæpiùs considerâssem, rem facturus gratam pueritiæ Institutoribus videbar, si ejusmodi Institutionem Troposchematologiam in Scholarum usum adornarem, quæ ab illis omnibus seu vitiis, seu defectibus immunis foret, vel saltem minùs illis abundaret. Rem tandem

tandem (juvante Deo) confeci; confectam in apertum protuli; prolatam doctis placuisse viris non tristis cognovi. Cum autem, contra quàm opinabar, aliquibus in locis obscurior videbar, totam denuo Rem ad incudem reduxi, & secundis meis curis *& cogitationibus multo, quàm antea,* lucidiorem *effeci. Quam quidem ad rem definitiones quasdam breviavi, quasdam ampliavi, quasdam geminavi, omnes, ubi opus erat, faciliores reddidi. Nonnulla* addidi, *quæ plus adhuc allatura lucis videbantur; quædam* omisi, *nempe quæ sunt visa additis minùs necessaria; pauca* mutavi, *sed pro aliis, quæ illis multo esse futura utiliora censui. Quin ipsam* Verborum compositionem, *ubi nimis* Artificiosa *esse videbatur, quò esset Liber intellectu facilior, in paulo* Naturaliorem *immutavi: contentus minùs eleganter loqui, modò magis intelligenter loquerer. Denique, ne multus sim in re non magnâ, Totum Opus ita in discentis usum quâ potui cunque ratione adaptavi, ut permagna me spes jam teneat, non futuram ullam deinceps causam de ullâ ejus* difficultate *conquerendi. Unicum tantùm præfatum velim apud Doctiores Juventutis Institutores, nempe esse integrum per me illis, quæ interposui & intermiscui Logica Rhetoricis, ea omnia illibata prorsus & intacta relinquere, nec quicquam suis, quod non purè sit Rhetoricum, Discipulis prælegere. Quanquam non sunt magnâ sine causâ* Logica Rhetoricis admista, *ut quæ Rheto-*

ciris non minimum lucis adferant, imò absq; quibus si foret, vix esset, ut ipsa quisquam Rhetorica intelligeret. Hinc illud viri in omni politioris literaturæ genere facile principis Dom. Joh. Gerardi Vossi, *Partit. Orat. l. 1. p. 11.* Nemo nisi Logicis imbutus ad Rhetoricen admitti debet. *Item ib. p. 17.* Quæ omnia exemplis illustraremus, nisi istæc notissima sorent è Logicis, quorum intelligentem priùs esse oportet, si quis seriò Rhetoricari volet. *Item lib. de Rhetorices Naturâ ac Constitut. p. 32, 33.* Adde quod, ut in cæteris disciplinis, ita in hac quoque necessarius est vocabulorum Logicorum usus, absque quorum intelligentia non minùs penè animus caligabit, quàm si quem ignotâ loquentem linguâ audiamus, &c. *Æquâ jam velim lance meam hanc cum quavis aliâ molis non majoris Rhetoricâ conferas; & utra tandem tibi magis placebit, hac per me tibi magis uti licebit. Interim scias ita fuisse tui me commodi cupidum, ut præ eo nullam vel otii, vel negotii mei rationem habuerim. Si tuâ quod ego gratiâ hoc in opere præstiti es boni consulturus, hac ratione mihi plus deinceps & olei & operæ meæ in bonum vel tuum, vel publicum, insumendi animum facies. Vale feliciter: & si quid his novisti rectiùs, candidus impertias; sin minùs, his mecum placidus digneris.*

INDEX

INDEX.

A.

Accidens. 40
Actio pro agente. 35
pro effectu. 34
Actio corporis. 171
Adjunctum. 30
adhæsionis. ib.
inhæsionis. ib.
locationis. ib.
occupationis. ib.
pro subjecto. 46
Admiratio. 163
Advocatus pro reo. 44
Ænigma. 84
Ætas pro personis. 47
pro rebus. ib.
Æternum pro diuturno. 20
Ætiologia. 132
Affectiones Troporum. 4
Affectus pro Effectu suo. 33
Affectuum concitandorum Figura. 153
Agens pro actione. 35
Allegoria. 80
pura. 83
mixta. ib.
Anachoresis. 167
Anacœnosis. 126
Anadiplosis. 95
Analogia. 52
Anaphora. 97
Anastrophe. 117
Anima pro corpore. 19
Anoncosis. 135
Antanaclasis. 107
Antecedens pro consequente. 44
Anthypophora. 123
Antimetabole. 141
Antimetathesis. 140
Antistrophe. 129
Antistoichon. 120
Antithesis. 120, 138
Antitheton. 138
Antonomasia. 14
Aphæresis. 120
Apocope. ib.
Apodioxis. 165
Apodosis. 135
Apophasis. 62, 144
Aporia. 154
Apostiopesis. 155
Apostrophe. 158
Arca. 162
Asteismus. 161
Asyndeton. 87
Aversio. 158
Author. 26
pro dicto vel scripto. 32
pro alieno facto. 36
Auxesis. 67

B.

Baion. 130

C.

Cacemphaton. 115
Cacosynthéton. 113
Catachresis. 64
Causa. 24
meritoria. 26
moralis. ib
proegumena. ib.
procatarctica. ib.
Causarum numerus. 24
Causatum. ib.
Certus numerus pro magno. 21
Charientismus. 160
Chria. 131
Climax. 96
Color pro colorato. 47
pro prætextu. 133
Collatio. 136
Comparatio. 135
Compositum. 8
pro materiâ 17
pro forma. ib.
Concessio. 127
Concitandorum affectuum Figuræ. 153
Conclusio. 124
Concomitans pro concomitante. 49
Confessio. 128
Connexum pro connexo. 49
Consequens pro antecedente. 48
Contentum pro continente. 50
Continens pro contento. 45
Contractionis figuræ. 89
Contradicentia. 59
Contraria. 58
Corpus pro membro. 19
Correctio. 155
Curiositas. 110

D.

Decrementum. 150
Deesis. 163
Deus loci pro loco. 43
pro templo. ib.
pro re cui præsidet. ib.
Dialyton. 87
Diaphora. 136
Diatyposis. 133
Diasyrmus. 160
Diæresis. 91
Differre numero. 7
Specie. 6
Digressio. 167
Disparata. 57
Dispositionis Figuræ. 164
Distributio. 132
Dubitatio. 154

E.

Ecphonesis. 153
Effectum. 27
pro Efficiente. 35
pro Occasione vel Merito. 37
Efficiens. 25
principalis. ib.
minus principalis. ib.

quo-

quomodo distinguitur à Fine. ib.
pro Effecto. 54
Ellipsis. 86
Enumeratio. 124
Epanacleſis. 168
Epanalepſis. 100
Epanodos. 101, 141
Epanorthôſis. 155
Epenthesis. 120
Epimone. 106
Epiphonema. 141
Ἐπιφορὰ. 99
Epiſtrophe. ib.
Epitheton
effecti tributum Efficienti. 38
totius tributum parti. 20
Subjecti tributum adjuncto. 50
Epiſtrophe. 128
Epitrope. 129
Epizeuxis. 93
principii. 113
finis. 114
Erotesis. 158
Euphemiſmus. 161
Εὐχὴ. 164
Exaggerationis figura. 142
Exclamatio. 153
Execratio. 162
Exemplum. 134
Exergaſia. 109
Explicationis figura. 130

F.

FAcinus pro morali causâ. 37
Factum pro faciente. 36
Figura. 85
dictionis. 86
ſententiæ. ib.
diſpoſitionis. 164
Finis. 28
pro medio. 59
Forma. 8
pro Compoſito. 18
Formatum. 17
pro Formâ. ib.

G.

GEnus. 6
Genera Troporum. 3
Geſtus Corporis. 171
Gnome. 130

H.

HAbere partem extra partem, quid. 9
Hendiadys. 91
Hirmus. 152
Homœoptoton. 115
Homœoteleuton. 113
Hypallage. 117
Hyperbole. 67
Hyphen. 90
Hypobole. 124
Hypophora. 122

Hypotyposis. 133
Hysteresis. 71
Hysterologia. 119

I.

Ictus. 135
Imago. ib
Imitatio. 162
Imperator pro exercitu. 44
Incrementum. 149
Individuum. 7
pro { *Genere.* 13 / *Specie.* ib. / *Individuo.* 14 }
Infinitus numerus pro magno. 21
Instrumentum. 27
pro Efficiente. 37
pro Effecto. 34
Interrogatio. 158
Inventor. 31
Inversio. 129
Ironia.
à Relatis. 61
à Privantibus. ib.
à Contrario. 60
à Contradicentibus. 61
à Disparato. 59
quomodo percipitur. 62

L.

Litote. 143
Locatum pro Subjecto. 49
Locus pro incolis. 45
pro rebus in loco habitis vel gestis. ib.
Lux pro die. 33

M.

Magister pro secta. 32
Materia. 8
pro Composito. 18
Materiatum. 8, 17
pro materia. 17
Mediana Repetitio. 103
Medium. 28
Membrum pro corpore. 19
Merismus. 132
Meritum seu meritoria causa. 26
pro eo quod promeretur. 34
Mesarchia. 103
Mesophonia. 102
Mesoteleuton. 104
Metabasis. 165
Metalepsis. 72
Metaphora. 51
resolvitur per quasi. 52
Metastasis. 130
Metathesis. 116
Metonymia. 23
Materiæ. 31
Formæ. ib.
Efficientis. ib.
Effecti. 35
Finis. 38
Medii. 39
Subjecti. ib.
inhæsionis. 40
adhæsionis. ib.

locationis. 45
occupationis. 46
antecedentis. 44
continentis. 46
objecti. ib.
signati. 42
Adjuncti. 46
interni. 47
externi. ib.
Accidentis. ib.
inhæsionis. ib.
adhæsionis. ib.
connexi. 49
consequentis. ib.
contenti. 50
occupati. ib.
signi. 48
Mimesis. 162
Miosis. 168
Moralis Causa. 26
Mysticrismus. 171

N.

Noema. 131
Nomen pro persona. 48
Numero differre. 7
Numerus
major pro minore. 20
minor pro majore. 22
certus pro incerto.
majore. 23
minore. 21
infinitus pro magno. ib.
Pluralis pro Singulari. ib.
Singularis pro Plurali. 22
rotundus pro majore. ib.
minore. 21

O.

Objectum. 26, 46
pro re circa illud. ib.
Obsecratio. 163
Occasio. 26, 27
pro re. 35
Occupatio. 122
Occupatum. 46
Opifex pro opere. 32
Opposita. 56
Oppositorum species. 57
Orationis ornamenta,
interna. 2
externa. 168
Oxymoron. 139

P.

Palilogia. 109
Parabole. 135
Paradiastole. 137
Paradigma. 134
Paradoxum. 150
Paragoge. 120
Paralipsis. 62, 144
Parecbasis. 166
Parechesis. 114
Paregmenon. 112
Parens pro Liberis. 32
Paromœon. 112
Paromologia. 108
Paronomasia. 111
Pars. 8
Essentialis. 8
pro parte essentiali. 19
Integralis. 10

Pars-

Paanisimus. 159
Patronus pro Cliente. 44
Periergia. 110
Periphrasis. 151
Persona pro vestitu. 42
Pleonasmus. 88
Plusc. 108
Pluralis Numerus pro Singulari. 21
Polyptoton. 94
Polysyndeton. 88
Possessa res pro possessore. 48
Possessor pro re possessa. 42
Predicari, quid. 6
Pratexius. 27
Privantia. 58
Prophationum figura. 122
Productum pro producente 36
Prolepsis. 122
Pronunciatio. 168
Propositio. 124, 135
Prosapodosis. 123
Prosopopœia. 150
Prothesis. 120
Protasis. 135

R.

Reddition. 135
Regressio. 167
Rejectio. 165
Relata. 58
Remotio. 124
Repugnantia. 59
Res pro pretio. 36
Signata pro Signo. 41
circa objectum pro objecto. 50
contenta pro continente ib.
facta in tempore pro tempore. 41
in loco pro loco in quo res. 49
Reticentia. 155
Revocatio. 168
Rhetorica. 1
Rotundus numerus
pro majore. 22
pro minore. 21

S.

Sarcasmus. 159
Schema. 85
Seculum pro
personis. 47
rebus. ib.
Sententia. 130
Sermocinatio. 156
Signum
pro Signato. 48
Similia. 52
Similitudo. ib.
Singularis Numerus pro Plurali. 22
Species. 7
pro specie. 13
Specie differre, quid. 6
Subjectio. 124
Subjectum, 28
inhæsionis. ib.
pro adjuncto. 40
adhæsionis. 29
pro adjuncto. 40
locationis. 29

pro adjuncto. 45
occupationis. 29
pro adjuncto. 46
Subſtantia. 43
Suſtentatio. 151
Symbole. 136
Symploce. 99
Synæreſis. 89
Syncope. 120
Synchoreſis. 127
Synchyſis. 118
Synecdoche. 51
Generis pro Specie. 11
Individuo. 12
Formati pro forma. 17
Formæ pro formato. 19
Materiati pro materia. 17
Materiæ pro materiato. 18
Speciei pro Genere. 12
Individuo. 11
Totius---
Univerſalis. 10
Eſſentialis. 16
Integralis. 19
Corporis pro membro. ib.
Temporis longioris pro brevioris. 20
Numeri
majoris pro minore. ib.
Pluralis pro Singulari. 21
rotundi pro minore. ib.
certi pro incerto, minore. ib.
infiniti, innumeri, pro magno. ib.
Partis
Univerſalis. 12
Eſſentialis. 18
Integralis. 21
Membri pro corpore. 22
Temporis brevioris pro longiori. ib.
Numeri
minoris pro majore. ib.
Singularis pro Plurali. ib.
rotundi pro majore. ib.
certi pro incerto, majore. 23
Synæciosis. 139
Synonymia. 109
Syrmus. 152

T.

Tapinosis 72
Tautotes. 105
Tempus pro rebus, perſonis, in tempore. 47
longius pro breviori. 20
brevius pro longioris 22
Thaumaſmus. 163
Tmesis. 91
Totum, quid. 5
Eſſentiale. 8
Integrale. 9
Univerſale. 10
Transitio. 165
Tropus 2
differt à Figurâ. ib.
Troporum
Genera. 3
Methodus. 4
Numerus. ib.
Affectiones. ib.

V.

Violentum. 130
Virtutes pro bonis vitiis. 47
Vitia pro malis virtutibus. ib.
Umbra Epanodi. 102

Voces 92
eædem. 111
similes. 109
simplices. 110
complexæ. 110
Votum 164
Vox in pronunciatione, qualis. 168

There is lately Published by this Author a Book Entituled, *De Argumentorum Inventione Libri duo, quorum prior agit de Inventione Logicâ, alter de Inventione Rhetoricâ, in studiosæ Juventutis tam Scholasticæ quàm Academicæ Usum conscripti.*

Troposche-

Tropoſchematologiæ Rhetoricæ

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

De Rhetorica, ejuſque Ornamentis.

Quid eſt Rhetorica?

Rhetorica eſt Ars præcepta tradens de exornandâ oratione.

Docet Rhetorica exornare orationem, non omnibus omnino modis, ſed ſuis quibuſdam & ſibi propriis, nempe Tropis & Figuris, Pronunciatione & Actione.

Rhetorica (ſc. ars vel facultas) Ῥητοεικὴ (ſc. τέχνη) dicitur à ῥέω *dico*, (voce *dicendi* κατ' ἐξοχὴν ſumptâ) ac ſi iſte ſolus ſit cenſendus *dicere*, qui Rhetoricè, hoc eſt ornatè, *dicat*.

Quotuplicia ſunt Orationis Ornamenta?

Orationis ornamenta duplicia ſunt, Interna ſcilicet, & Externa.

Quænam ſunt Interna Orationis Ornamenta?

Interna Orationis Ornamenta duo ſunt, Tropus nempe, & Schema, ſive Figura.

Ornari Orationem Græci putant, ſi verborum immutationibus utantur, quas appellant τρόπους; & ſententiarum orationiſque formis, quas vocant σχήματα. Cic. lib. clar. Orator.

N. *Differunt* Tropi & Schemata, *quod illis ſemper invertatur ſignificatio: Schemata autem ſive permaneute, ſive mutatâ ſignificatione (nam tam tranſlatis, quàm propriis figuratur oratio) alio habitu induant orationem.* Voſſ. Inſtit. Orat. lib. 4. cap. 5.

CAPUT II.

De Tropo in Genere; deque Tropi Generibus & Affectionibus.

Quid eſt Tropus?

Tropus eſt ornata dictionis mutatio à ſignificatione ſuâ in alienam. Vel,

Tropus eſt Ornamentum Rhetoricum (ſive ornatus dicendi modus, quo dictio aliqua, propriâ ſuâ ſignificatione mutata, ad aliud ſignificandum uſurpatur, quàm primò proprièque ſignificat.

Cùm quis, viſo in arenâ *humani pedis veſti-*

gi

gio, dicit ſe vidiſſe *pedem hominis*; non id tum ſignificat vox *pedis*, quod primò propriéque ſignificat: nam primò propriéque ſignificat illud *humani corporis membrum*, quo quis loco inſiſtit, vel loco movetur; at hîc ſignificat, non illud hominis *membrum*, ſed membri illius *ſignum* aliquod, nempe *veſtigium*.

Tropus Τρόπος derivatur à τέτροφα (præterito medio verbi τρέπω *verto*, ſive *muto*) quia in omni Tropo *mutatio* aliqua dictioni accedit; ut quæ ibi non ſuâ, ſed alienâ ſignificatione uſurpetur.

Quot in Tropo conſideranda veniunt?

In Tropo conſideranda veniunt Genera ejus & Affectiones.

Tropi Genera quot ſunt?

Tropi Genera ſunt quatuor: Synecdoche, Metonymia, Metaphora, & Ironia.

Vel res adeò arcto vinculo conjunguntur, ut unum ſit de alterius eſſentiâ, velut totum & Pars, quæ Synecdoche commutat: vel non quidem unum de alterius eſſentiâ eſt, ſed tamen cum eſſentiâ conjungitur, ſive quia alterum alterius cauſa eſt, ſive quòd unum alteri inſit, aut adſit, alterumve præcedat, aut æquatur, quæ invertit Metonymia; vel ne quidem conjuncta ſunt cum eſſentiâ, ſed aut ſimilia tantùm, cujuſmodi commutat Metaphora; aut etiam oppoſita, quorum unum pro altero ponit Ironia. Et hinc oritur Tro-

porum Numerus & Methodus.

Obiter notandum posse unam eandemque dictionem diversâ ratione ad diversos vel Tropos vel etiam Troporum Genera referri. Ut, *Canities*, quæ est & *effectum* senectutis, & *signum* senectutis, potest pro *Senectute* poni, vel per Metonymiam Effecti, ut est quid à senectute *productum*, vel per Metonymiam Adjuncti, ut est senectutis *Signum*. Sic quia *anima* humana potest considerari vel ut hominis *Causa* Formalis, vel ut ejusdem *Pars* Essentialis, ergo cum pro *homine* ponitur; si consideretur ut *Causa*, refertur ad Metonymiam; si ut *Pars*, refertur ad Synecdochen.

Quot sunt Tropi Affectiones?

Tropi Affectiones quatuor sunt, Catachrésis, Hyperbole, Metalepsis, & Allegoria.

Troporum Affectiones sunt quidam quasi Troporum habitus, sive qualitates, quibus afficiuntur Tropi; secundum quas dicitur Tropus hoc vel illo modo affici: scilicet esse vel durior & injucundior; vel altior & gravior, humilior & levior; vel in uno verbo multiplex; vel in verbis pluribus unus.

Primò agendum de Tropi Generibus, deinde de Affectionibus.

CAPUT

CAPUT III.

De Synecdoche in Genere: deque Toto & Partibus.

Quid est Synecdoche?

Synecdoche est Tropus, quo res, quæ cum alterius essentiâ sic conjungitur, ut de ejus essentiâ sit, pro eâ re ponitur, cujus de essentiâ est.

Vel, Synecdoche est Tropus, quo ponitur nomen Totius ad significandum Partem, vel nomen Partis ad significandum Totum.

Dicitur Συνεκδοχὴ Synecdoche à συνεκδέχομαι *comprehendo*: quia hoc Tropo *comprehenditur* vel sub latiori vocabulo arctius, vel sub arctiori latius, sc. Pars sub Toto, vel Totum sub Parte.

Ad Tropi hujus naturam intelligendam, est aliquid de Toto & Partibus ex Logicorum præceptis petendum.

Quid est Totum?

Totum est, quod ex partibus constat.

N. *Cæterum in Toto non satis est, quòd partes sunt, nisi debito & modo & ordine inter se unitæ sint.*

Quid sunt Partes Totius?

Partes Totius sunt res illæ, ex quibus constituitur Totum.

Quotuplex in Rhetoricâ consideratur Totum?

Consideratur in Rhetoricâ triplex Totum; nempe *Universale*, *Essentiale*, & *Integrale*.

Quid est Totum Universale?

Totum *Universale* est Genus respectu Specierum, aut Species respectu Individuorum.

N. *Partes Generis sunt Species; Speciei Partes sunt Individua. Quia Genus dividitur in Species; & Species dividitur in Individua.* Animal *enim vel est rationale sive* homo, *vel irrationale sive* brutum. Homo *autem est vel* Petrus, *vel* Paulus, *&c.*

Quid est Genus?

Genus est vox naturam significans universalem, quæ de pluribus & Specie differentibus prædicari potest in quæstione quâ quæritur quid res sit.

Ut cum quæritur *quid sit homo?* vel *quid sit brutum?* respondetur, est *animal.* Unde liquet *Animal* esse *Genus* & *hominis* & *bruti.*

N. *Prædicari nihil aliud est quàm affirmari. Specie autem differre dicuntur, quæ differunt essentialiter, seu quæ essentiis distinguuntur sub eodem genere, ut* homo *&* brutum, *quæ* Genere *quidem conveniunt, sunt enim utráque* animalia, *sed* Specie *differunt, quòd non sit eadem hominis brutique essentia, sed diversa.*

Dicitur

Dicitur γένος *Genus* ab inuſitato verbo γίνω (cujus in locum ſucceſſit γίγνω *gigno*) quod à Genere ceu parente aliquo Species & Individua tanquam filii & nepotes gignantur.

Quid eſt Species?

Species eſt vox naturam ſignificans univerſalem, quæ de pluribus & numero differentibus prædicari poteſt in quæſtione quâ quæritur *quid* res ſit.

Ut cum quæritur, *quid eſt Ariſtoteles?* vel *quid eſt Alexander?* reſpondetur, *Homo eſt.*

N. Numero differre *dicuntur, quæ cum ejuſdem ſint eſſentiæ, ut multa numerari poſſunt*, ut Individua ejuſdem Speciei, *v. gr. Socrates, Plato, Ariſtoteles, Alexander, &c.*

Quid eſt Individuum?

Individuum eſt vox naturam ſignificans ſingularem, quæ de uno tantùm ſuâpte naturâ prædicari apta eſt.

Ut Socrates; hic homo. Singularis enim Socratis (aut hujus hominis) natura, de nullo dici poteſt niſi de uno Socrate (aut hoc homine.)

N. Singularia *dicuntur* Individua, *quòd in plura ejuſdem nominis, naturæ, & quantitatis dividi nequeant.* Alexander *enim dividi poteſt in corpus & animam; vel in caput, ventrem, pedes, cæteróſque corporis artus: at dividi in plures*

Alexandros *non poteſt*. *Sic* Ternio *poteſt dividi in tres Unitates; at dividi non poteſt in tres Terniones. Denique* Sextarius vini *poteſt dividi in plures vini porticulas: at in plures vini Sextarios dividi non poteſt.*

Quid eſt Totum Eſſentiale?

Totum *Eſſentiale* eſt quod conſtat ex Materiâ & Formâ.

N. *Partes Totius Eſſentialis ſunt Materia & Forma.*

Materia eſt, ex quâ res aliqua aut fit, aut conſtat.

Ut elementa ſunt materia corporum miſtorum; ſemen viventium; aurum aut argentum poculi; ferrum gladii; lignum ſcamni; triticum panis, &c.

Illud, quod ex Materiâ fit vel conſtat, dicitur *Materiatum* ſeu *Compoſitum*.

Forma eſt per quam res eſt id quod eſt.

Ut anima rationalis eſt forma hominis; anima ſenſitiva eſt forma animalis; anima vegetativa eſt forma viventis.

Cum dicitur *res eſſe id quod eſt per formam*, ſenſus eſt *conſtitui unumquodque in certâ aliquâ rerum Specie per Formam*. E. g. Homo eſt Totum Eſſentiale, reſpectu corporis & animæ ex quibus conſtat. Corpus eſt Materia, Anima Forma eſt. Per corpus homo aliquid eſt; ſed per animam eſt id quod eſt, nempe *homo*.

Nam

Nam posito quòd corpus hominis aliâ cujusvis animalis formâ informetur; erit animal ignoti adhuc & Nominis & Speciei; at non erit Homo. Per Formam utique est quòd res sit id quod est.

Notandum porrò propriè dictas rerum Formas ferè esse nobis ignotas; quod autem cuiq; maximè essentiale est, posse id pro ejus Formâ accipi atque usurpari.

Quid est Totum Integrale?

Totum *Integrale*, est quod partem extra partem habet.

Hoc duplex est; *Continuum*, cujus partes communi termino copulantur; ut Linea, Superficies, Corpus, Tempus: & *Discretum*, cujus partes non copulantur communi termino; ut Numerus.

N. Habere partem extra partem, *est habere partes, non tantùm* essentiâ, *verùm etiam* situ, *aut saltem* ordine *differentes. Partes quidem Totius Essentialis sunt simul, seque mutuo penetrant & permeant, ut Materia & Forma. At Partes Totius Integralis non sunt simul; sed aut* situ & spatio *diversæ sunt, ut videre est in corpore humano, cujus partes, caput, venter, manus, pedes, diversæ & situ & spatio sunt, nec ulla earum aliam in se continet: aut saltem diversæ sunt* ordine, *ut videre est in Tempore & Numero. Temporis enim partes sunt Instantia; Numeri, Unitates. At nec in Tempore ulla*

duo

duo Instantia sunt simul; nec in Numero ullæ duæ Unitates simul sunt. Sed tam in Tempore Instantia, quàm in Numero Unitates ordinem servant; unumque eorum semper ordine præcedit alterum; nec ab eorum aliquo uno continetur alterum. Continetur quidem in Quaternario numero Ternarius: at ista Unitas, quæ Ternario numero addita Quaternarium numerum constituit, nullam earum unitatum, ex quibus constitit numerus Ternarius, in se continet; nec suâ major est quantitate, quàm quælibet una ex illis tribus unitatibus. Nec dissimiliter se habet res in pluribus Temporis Instantibus.

Quotuplex est Synecdoche?

Synecdoche sextuplex est; scilicet Totius Universalis, & Partis ejus; Totius Essentialis, & Partis ejus; Totius Integralis & Partis ejus.

CAPUT IV.

De Synecdoche Totius Universalis, & Partis ejus; seu de Synecdoche, Generis, Speciei, & Individui.

Quid est Synecdoche Totius Universalis?

Synecdoche *Totius Universalis* est Tropus, quo nomen Totius Universalis ponitur ad signi-

ſignificandum aliquam ejus partem.

Hæc Synecdoche duplex eſt; Generis pro Specie; & Speciei pro Individuo.

Quid eſt Synecdoche Generis *pro Specie?*

Synecdoche Generis pro Specie eſt Tropus, quo ex nomine Generis ſignificatur Species. Vel—

—quo nomen Generis uſurpatur ad ſignificandum Speciem.

Ut cum *Virgilius* poſuit *alitem* pro *aquilâ*, & *quadrupedem* pro *equo*. Sic cum *Creatura*, vel *mortalis* ponitur pro *homine*. Sic cum ponitur à Græcis ὄρνις (avis) pro gallinâ; à Latinis *olus* pro *braſſicâ*; ab utriſque ἀφροσύνη, *ſtultitia* pro ſtupro. Item cum *facere* ponitur pro *ſacrificare*; ut apud Virg. Ecl. 3. *Cum faciam vitulâ*--- & Juven. 9. Sat. *Pro populo faciens*--- ſaufeia.

Quid eſt Synecdoche Speciei *pro Individuo?*

Synecdoche Speciei pro Individuo eſt Tropus, quo ex nomine Speciei ſignificatur Individuum. Vel—

—quo nomen Speciei uſurpatur ad ſignificandum Individuum.

Ut cum *Cicero* dixit, *ſine dubio perdidimus hominem*, intelligens *Catilinam*. Sic ponitur *Poeta* pro *Homero*, aut *Virgilio*; *Orator* pro *Demoſthene* aut *Cicerone*. Et ſic ponitur *Urbs* pro *Trojâ*, vel *Româ*, vel qualibet aliâ ſingulari civitate.

N. *Sicubi*

N. *Sicubi ponatur* Genus pro Individuo, *ſit hoc per* Metalepſin (*de quâ poſtea*, Cap. 19.) *Primò enim Genus ponitur pro Specie; tum verò Speciei ponitur pro Individuo; per duplicem ſcilicet Synecdochen; viz. Generis pro Specie, & Speciei pro Individuo. Niſi malis* (*cum aliis*) *utrumque hunc Tropum ſub uno, ſcil. Synecdoche Generis, comprehendere*; Generis *videlicet nomine intelligens quicquid eſt* generalius.

Quid eſt Synecdoche Partis *Totius Univerſalis?*

Synecdoche Partis Totius Univerſalis eſt Tropus, quo aliqua Totius Univerſalis pars pro Toto Univerſali ponitur.

Hæc Synecdoche Duplex eſt; *Speciei* pro Genere, & *Individui* pro Specie.

Quid eſt Synecdoche Speciei pro Genere?

Synecdoche *Speciei pro Genere* eſt Tropus, quo ex nomine Speciei ſignificatur Genus; Vel—

—quo nomen Speciei uſurpatur ad ſignificandum Genus.

Ut cum in oratione Dominicâ, per *panem*, quæ una eſt ciborum humanorum ſpecies, intelligendum eſt *omne illud*, quo ſuſtentari paſcive ſolet humana natura. Et quando *Cicero Catilinam* vocavit *parricidam civium*, cum intelligeret eum eſſe eorum *interfectorem*. Quippe Interfectorum ſpecies eſt Parricida.

Omnis

Omnis enim Parricida est Interfector: non omnis interfector parricida. Sic cum *Virgilius Chaoniam glandem* posuit pro quâvis glande; & *pocula Acheloïa* pro cujusvis aquæ poculis.

Quid est Synecdoche Individui pro Specie?

Synecdoche Individui pro Specie est Tropus, quo ex nomine Individui significatur Species. Vel—

—quo nomen Individui usurpatur ad significandum Speciem.

Ut cum ponitur *Irus* pro paupere; *Crœsus* pro divite; *Aristides* pro justo; *Mæcenas* pro patrono. Sic cum ponitur *Mare Myrtoum* vel *Carpathium* pro quovis mari; *Eurus* vel *Aquilo* pro quovis vento, *Sardinia* pro loco insalubri; *Adria* pro mari tempetuoso; *Venusinæ Sylvæ* pro quibusvis sylvis.

N. *Quum ponitur* Individuum pro Genere, *fit hoc per Metalepsin. Primò enim Individuum ponitur pro Specie, tum verò Species ponitur pro Genere; per duplicem scil. Synedochen, Individui pro Specie, & Speciei pro Genere. Nisi malis Synecdochen Individui (id quod faciunt alii) comprehendere sub Synecdoche Speciei: quasi sub* Speciei *nomine intelligatur quicquid est* specialius.

Sicubi etiam ponitur *species pro specie*, fit hoc quoque per Metalepsin; positâ scilicet primò specie una pro genere; tum posito genere

nere pro ſpecie alterâ. Sic cum *ærea* vocantur *arma*, (ut ſæpè apud *Homerum*) quæ verè *ferrea* ſunt, primò *æs* ponitur pro *metallo*, per Synecdochen ſpeciei pro genere; tum *Metallum* ponitur pro *ferro*, per Synecdochen generis pro ſpecie.

Deniq; ſiquando ponitur *Individuum unum pro alio*, fit hoc vel per Metaphoram, propter aliquam utriuſq; ſimilitudinem; vel per Ironiam, propter aliquam inter utrumque oppoſitionem.

Appendix de Antonomaſiâ.

Duos Tropos ſcilicet Synecdochen ſpeciei pro individuo, & individui pro ſpecie, quidam ſub *Antonomaſiæ* tradunt. Libet itaque Lectoris gratiâ ad hujus conſiderationem parumper excurrere.

Quid eſt Antonomaſia?

Antonomaſia eſt tranſmutatio communis nominis pro proprio, & proprii nominis pro communi.

Hujus itaq; duo ſunt genera: *alterum* quo *commune* ſumitur *pro proprio*, quodque eſt idem cum Synecdoche ſpeciei pro individuo; *alterum* quo *proprium* ſumitur pro *communi* quodque idem eſt cum Synecdoche individui pro ſpecie.

Ad prius Antonomiſiæ genus referunt, quando pro *Nomine Proprio* ponitur.

Primò,

Primò, *Nomen Patronymicum.* Ut *Saturnius* pro *Jove*; *Priamides* pro *Hectore*; *Atrides* pro *Agamemnone* vel *Menelao*; *Tydides* pro *Diomede*; *Pelides* pro *Achille*; *Anchisiades* pro *Æneâ*, &c.

Secundò, *Nomen Gentile*; Ut *Cytherea* pro *Venere*; *Arpinas* pro *Cicerone*; *Pœnus* pro *Hannibale*.

Tertiò, *Epitheton Appellativum*; Ut *Omnipotens* pro *Jove*; *Impius* pro *Æneâ*. Ut Virg. Æn. 4. *Thalamo quæ fixa reliquit Impius*, i. e. Æneas, scil. ex mente dicentis.

Quartò, Nomen ſtudii, artis, officii, dignitatis. Ut *Philoſophus* pro *Ariſtotele*; *Orator* pro *Demoſthene* vel *Cicerone*; *Poeta* pro *Homero* aut *Virgilio*; *Apoſtolus* pro *Paulo*; *Prætor*, *Conſul*, *Epiſcopus*, *Doctor*, &c. pro ſingularibus hominibus in aliquo horum vel honorum vel officiorum conſtitutis.

Quintò, *Periphraſis non reciproca*; Ut *Trojani belli Scriptor* pro *Homero*.

Ad poſterius Antonomaſiæ genus referunt, quando pro *Communi ſeu Appellativo Nomine* ponitur. Vel,

Primò, *Proprium perſonæ Nomen.* Ut *Cato* pro *Sapiente*; *Virgilius* pro *Poeta*; *Tullius* pro *Oratore*; *Mecænas* pro *Patrono*; *Ariſtides* pro *Juſto*; *Prometheus* pro *Figulo*; *Tireſias* pro *Cæco*; *Achilles* pro *forti*; *Neſtor* pro *diſerto*; *Ulyſſes* pro *vafro*; *Therſites* pro *deformi*;

formi; *Sardanapalus* pro *molli*; *Nero* pro *crudeli*; *Venus* pro *amicâ*; *Lucretia* pro *pudicâ*, &c.

Secundò, *Proprium Gentis, Nationis*, vel *Loci Epitheton.* Ut cum ponitur *Musa Attica*, pro quovis Athenis nato eloquentiâ præcellente; *Massicum Vinum* pro quovis alio nobiliore vino; *Sus Sabellicus*, *Aper Caledonius*, *Leo Numidicus* pro quovis sue, apro, leone. Item cum *Pœnus* ponitur pro perfido, vel *Cretensis* pro mendace. Licet in hoc loquendi modo sit etiam Metaphora; cum ideò dicatur aliquis esse *Pœnus*, vel *Cretensis*, qui non est de alterutrâ gente oriundus, quòd morum similitudine aliquâ, scil. perfidiâ, vel mendacitate *Pœnos* vel *Cretenses* referat.

Dicitur Ἀντονομασία Antonomasia, ab ἀντὶ *pro*, & ὀνομάζω *nomino*: quia Antonomasia ejusmodi est dicendi modus in quo *nomen aliud ponitur pro alio*, & disertim *commune pro proprio*, vel *proprium pro communi.*

CAPUT V.

De Synecdoche Totius Essentialis & Partis ejus.

QUid est *Synecdoche Totius Essentialis*? *Synecdoche Totius Essentialis* est Tropus, quo

quo nomen Totius Eſſentialis ponitur ad ſignificandum alterutram illius partem; ſive —quo nomen *Compoſiti* ponitur ad ſignificandum vel *Materiam* vel *Formam*.

Aliquando *Compoſitum* ponitur pro *Materiâ*.

Ut cum dixit *Maria*, *Suſtulerunt Dominum meum*, quando intelligeret tantummodo Domini ſui, ſcil. Jeſu Chriſti *Corpus* eſſe ſublatum. Sic dixit *Virg. Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros*. Cum tamen intelligeret tantummodo exanimum Hectoris corpus eſſe raptatum. *Juven.* 10. *Sat. Plenæ ſororibus urnæ*, i. e. ſororum cineribus, & oſſibus.

Hoc cum fit, dici poteſt hic Tropus *Synecdoche materiati* pro materiâ.

Aliquando *Compoſitum* ponitur pro *Formâ*.

Ut cum (*Luc. 16. v. 23.*) dicitur *Dives* vidiſſe *Abrahamum* procul, & *Lazarum* in ſinu ejus, voces illæ dives, *Abrahamus*, *Lazarus* ſolùm ſignificant hominum iſtorum animas.

Hoc cum fit, dici poteſt hic Tropus *Synecdoche Formati* pro *Formâ*.

N. Materiatum & Formatum *nihil aliud ſunt quàm ipſum Compoſitum*, *quod diverſo reſpectu diverſas ſortitur appellationes*, & *reſpectu materiæ*, *unde componitur*, *dicitur* Materiatum, *reſpectu Formæ* Formatum.

Quid est Synecdoche Partis Essentialis?

Synecdoche Partis Essentialis est Tropus quo nomen partis essentialis ponitur ad significandum totum essentiale. Sive—

—quo nomen vel *Materiæ* vel *Formæ* ponitur ad significandum totum *Compositum.*

Aliquando nomen *Materiæ* ponitur ad significandum totum *Compositum.*

Ut cum ponitur *ferrum* pro *gladio*, vel quibuscunque aliis armis ferreis; *æs*, *argentum*, *aurum* pro æreis, argenteis, aureisve nummis, vel vasis inde conflatis; *pinus*, *abies*, *robur* pro navibus ex pinu, abiete, vel robore compactis. Item cum ponunt Græci σώματα pro hominibus, præcipuè servis. Hinc illud *Demosthenis*, σώμασι καὶ χρήμασι καλῶς παρεσκευασμένοι hominibus & nummis benè instructi. Sic apud nos dicitur, *any body*, *every body*, *no body* pro *any*, *every*, *no man.*

Hoc cum fit, dici potest hic Tropus Synecdoche *Materiæ* pro *Materiato.*

Aliquando nomen *Formæ* ponitur ad significandum totum *Compositum.*

Ut cum dixit Apostolus, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, intelligendus est *omnis homo.* Sic dixit *Cicero*, *Vos meæ charissimæ animæ sæpissimè ad me scribite*, i. e. Vos charissimi mihi homines. Sic dixit *Virg.* *Animâ litandum Argolicâ*, pro homine Argolico.

Ho

Hoc cum fit, dici poteſt hic Tropus *Synecdoche Formæ* pro *Formato*.

Aliquando *pars alterâ* eſſentialis ponitur pro *alterâ*, nempe *anima* pro *corpore* (qui loquendi modus eſt *Hebræis* uſitatus) hoc autem fit per *Metalepſin*, de quâ poſtea, *Cap.* 19.

CAPUT VI.

De Synecdoche Totius Integralis, & Partis ejus.

Quid eſt Synecdoche Totius Integralis?

Synecdoche *Totius Integralis* eſt Tropus, quo ex nomine Totius Integralis ſignificatur aliqua ejus pars, ſeu membrum.

Hæc Synecdoche triplex eſt, viz. *Corporis*, *Temporis*, *Numeri*.

Primò, *Corporis*; cum totum corpus ponitur pro aliquo ejus membro vel parte.

Ut cum ponitur *Elephantus* pro ebore, hoc eſt, Elephanti dente ſeu cornu. Item cum dicitur *fontem ferebant*, pro parte fontis; vel cum *Bibere Xanthum*, *Ararim*, *Tigrim* dicitur pro *bibere partem aquæ fluviorum iſtorum*. Item cum *ultimâ plateâ vel urbe* dicitur pro ultimâ plateæ vel urbis parte; ut & *extremâ paginâ* pro extremæ paginæ parte; *medius homo*, vel *mulier* pro mediâ hominis, vel mulieris parte.

Aut cum ponitur *Orbis terrarum* pro Imperio Romano.

Huc referri fortaſſe poteſt, quando id quod totius eſt, in Epitheto aliquo, ſeu Adjectivo nomine attribuitur parti. Ut cum dixit *Plautus*, *Ego tibi iſtam ſceleſtam, ſcelus, linguam abſcindam.* Amph. 1. 1. Item *Ovid. Met.* 13. *In me ſtolidæ convitia fundere linguæ.* Ubi *ſceleſtam linguam*; & *ſtolidæ linguæ* poſita ſunt pro *linguâ ſceleſti* & *ſtolidi hominis*; attributis ſcilicet *ſcelere* & *ſtoliditate*, quæ ſunt propria *hominis*, uni hominis, parti nempe *linguæ*. Sic dicitur *manus fallax* & *incontinens*, pro manu *fallacis* & *incontinentis*.

Secundò, *Temporis longioris*; cum longius aliquod tempus ponitur pro breviori.

Ut (apud *Terent.*) *Annus eſt dum comuntur*; i. e. tempus longiuſculum. Sic (*Matth.* 12. 40.) ponuntur *tres dies*, & *tres noctes*, hoc eſt, triduum, pro tridui parte, uno ſcilicet integro die & parte duorum.

Huc refertur cum *Æternum* ponitur pro *diuturno*. Ut, *Spero æternam inter nos gratiam fore*, i. e. diuturnam, vel duraturam quandiu ſuperſtites erimus. *Serviet æternùm*, i. e. quamdiu vivet.

Hæc Synecdoche frequens occurrit in ſacris Scripturis.

Tertiò, *Numeri majoris*; cum major aliquis numerus ponitur pro minore. Scilicet----

—Vel

—Vel (primò) *Pluralis* pro *Singulari*.

Ut, *Nos populo imposuimus*, pro ego imposui populo. Sic dicitur (*Matth.* 27. 44.) *Latrones improperabant* ei, i. e. alter latronum, *Luc.* 23. 39. Sic ponunt Poeta *Ora* pro *os*, *Colla* pro *collum*;

—Vel (secundò) *Rotundus pro Minore*.

Ut si dicas, *Reges imperârunt Romæ annis ducentis quinquaginta*, cum tantùm ducentos quadraginta quatuor imperârint. Sic *Cicero* posuit *quadraginta annos*, pro *triginta sex*: D. Paulus (1 *Cor.* 15. 5.) *Duodecim* posuit *Apostolos* pro *undecim*.

Huc refertur cum *Certus Numerus* pro *incerto*, sed *minore* ponitur.

Ut (apud *Terent.*) *Millies audivi*, i. e. persæpe. Sic (apud *Ciceron.*) *Sexcenta licet ejusmodi proferre*, i. e. permulta.

—Vel (tertiò) *Infinitus* vel *Innumerus* pro *Magno*.

Ut si dicas, *Præter eos, qui in acie ceciderunt, infinitus porrò hostium numerus se fugæ dedit*. Sic dixit *Cic. Cujus ex ludo, tanquam ex equo Trojano innumeri* (i. e. permulti) *Principes exierunt*. Sic *Appul. Innumerabilia* (i. e. permulta) *piscium genera enumerat*.

Quid est Synecdoche Partis Integralis?

Synecdoche *Partis Integralis* est Tropus, quo ex nomine Partis Integralis Totum Integrale intelligitur.

Hæc etiam Synecdoche triplex est, scil. *Membri*, *Temporis*, *Numeri*.

Primò, *Membri*; cum corporis alicujus membrum, vel pars pro toto corpore ponitur.

Ut cum ponitur *Caput* pro homine; *os* pro facie; *ungula* pro equo; *tectum* pro domo; *mucro* pro gladio; *carina* vel *puppis* pro nave; *convexum*, *axis*, vel *polus* pro cœlo; *Achaia* pro Græciâ; *apex* pro pileo; *umbo* pro togâ (ut apud *Pers. Sat.* 5.) vel cum ponitur *Dux* pro exercitu.

Secundò, *Temporis brevioris*; cum brevius aliquod tempus pro longiori ponitur.

Ut cum ponitur *bruma* pro hyeme; *ver*, *æstas*, *autumnus*, vel *hyems* pro anno. Sic dixit *Horat.* (c. l. 1. Od. 11.) *seu plures hyemes* (i. e. annos) *seu tribuit Jupiter ultimam.* Et ib. Od. 15. *Post certas hyemes uret Achaïcus ignis Iliacus domos.*

Tertiò, *Numeri minoris*; cum minor aliquis numerus ponitur pro majore; scilicet

—vel (primò) *Singularis pro Plurali.*

Ut cum dicitur, *Hostis habet muros*, pro hostes habent; *Romanus prælio victor*, pro Romani; *Miles pro militibus*; piscis pro piscibus; Rana pro ranis.

—vel (secundò) *Rotundus pro majore.*

Ut cum *mille carinæ*, & *mille puppes* dicuntur (apud *Virg.* & *Ovid.*) pro *mille centum & octoginta*

octoginta sex. Sic cum eos vocamus *Septuaginta Interpretes*, qui erant *duo & septuaginta*. Ut apud Romanos dicti sunt *Centum viri*, qui erant *centum & quinque*.

Huc refertur cum *Certus Numerus* pro *incerto*, sed *majore* ponitur.

Ut cum (apud *Horat.*) *Tergeminis tollere honoribus*, ponitur pro *plurimis*. Sic *Virg. Terq; quaterque beatos* dixit, pro sæpius, seu multum beatos. *Apocal.* 5. 11. *Millies centena millia, & decies centena millia* significant numerum penè infinitum.

CAPUT VII.

De Metonymia in genere.

QVid est Metonymia?

Metonymia est Tropus quo res, quæ cum alterius essentiâ sic conjungitur, ut ejus de essentiâ non sit pro eâ re ponitur, cujus cum essentiâ conjungitur.

Vel— quo ex nomine Causæ intelligitur Causatum, & ex nomine Subjecti intelligitur Adjunctum, & viceversâ.

Μετωνυμία Metonymia dicitur à μετὰ, significante in compositione *mutationem*, & ὄνομα *nomen*, ut sit nominum commutatio: hoc enim Tropo commutant inter se nomina res

ſibi invicem relatæ tanquam Cauſa & Effectum, & tanquam Subjectum & Adjunctum, ita ut alterius rei nomine res altera intelligatur.

Ad hunc etiam Tropum intelligendum ſunt quædam ex Logicis petenda de naturâ Cauſæ & Cauſati, Subjecti & Adjuncti.

Quid eſt Cauſa?

Cauſa eſt id, cujus vi res aliqua eſt.

Quid eſt Cauſatum?

Cauſatum eſt id, quod à cauſis ſuis conſtituitur. Sive— quod vi cauſæ eſt.

Quot ſunt Cauſarum genera?

Cauſarum genera quatuor ſunt, Materia, Forma, Efficiens, & Finis.

Hunc Cauſarum numerum ſic colligunt. Cum nihil fiat à ſeipſo, ſed quicquid ſit ab alio fiat, datur cujuſque rei factæ cauſa efficiens. Tum quia nulla res finita poteſt aliquid ex nihilo producere, ergo in rerum generatione danda eſt materia, ex quâ res fiant, ut ſint aliquid, & forma in materiam introducenda, per quam res ſint id, quod futuræ ſunt. Denique cum nihil agat temerè, ergo datur finis, cujus gratia efficiens operatur.

Duæ priores, nempe Materia & Forma, rei, cujus cauſæ ſunt, eſſentiam ingrediuntur, tanquam conſtituentes illius partes. Unde hujus loci propriè non ſunt: adeóque nihil hîc dicimus de Metonymiâ, vel Materiæ, vel Formæ.

mæ. Tamen earum commutationem cum Compoſito, magis accommodatè ad puerilem captum ſub Synecdoche Partis Eſſentialis tractamus. Vide *Cap.* 5.

At duæ poſteriores, nempe Efficiens & Finis, hujus loci ſunt, & hîc tractandæ erunt.

Quid eſt Efficiens?

Efficiens eſt Cauſa externa à quâ res eſt.

Vel— quâ res actione verâ producitur.

Ut pater eſt Efficiens filii, quem generat; architectus eſt efficiens domus, quam ædificat; ignis eſt efficiens caloris, quem producit.

Efficiens influit in Effectum per actionem verè cauſantem, quâ ratione à fine diſtinguitur. Nam res etiam à fine proficiſcitur, at non cauſalitate verâ, ſed tantùm Metaphoricâ.

Dicitur autem Efficiens *Cauſa Externa*, quia extrinſecè producit aliud, cujus ipſa non eſt pars. Ut pater non eſt pars filii; nec eſt architectus pars domûs; nec eſt ignis in foco pars caloris illius quem producit in aſſidentibus.

Quotuplex eſt Efficiens?

Efficiens duplex eſt; Principalis & Minus principalis.

Quænam eſt Efficiens principalis?

Cauſa *Efficiens principalis* eſt, quæ ſuâ virtute Effectum producit.

Quænam eſt Efficiens minus principalis?

Cauſa *Efficiens minus principalis* eſt, quæ cauſæ

cauſæ principali in producendo effecto ſubſervit.

Hæc vel eſt *Proegumena*, vel *Procatarctica*, vel *Inſtrumentum*.

Proegumena eſt, quæ principalem cauſam intus vel *diſponit*, vel etiam *proritat* ad agendum.

N. *Proegumena aliquando ſolummodo* diſponit; *ut cum temperamentum dicitur cauſa morum*; *aliquando etiam* proritat; *ut cum ira eſt cauſa cædis, avaritia furti, ſuperbia luxûs.*

Procatarctica eſt, quæ principalem cauſam extrinſecus incitat ad agendum.

Ad hanc cauſam reducitur

Primò, *Objectum*, ſcil. quatenus *excitat*, aut *movet* cauſam principalem.

Secundò, *Occaſio*, ſeu loci temporiſq; commoditas ad agendum quæ velis, quatenus ea habet vim aliquam movendi ad agendum, & impedimenta tollit.

Tertiò, *Cauſa moralis*, h. e. *Autor*, ſive is qui cauſam principalem ad agendum aliquid hortatur, rogat, conſulit, perſuadet, minis inſtigat, non impedit cum debet & poteſt, & quoquo modo ſic ſe gerit ut effectus ei imputetur.

N. *Author, h. e. Scriptor libri, eſt operis ſui Efficiens Principalis.*

Quartò, *Cauſa meritoria*, ſeu *Meritum*, quo [illegible]vetur agens ad talionem referendam, idq; tam

tam in bonis quàm in malis, tam in conferendo præmium, quàm in inferendo pœnam.

N. *Pro causâ meritoriâ interdum ſumitur occaſio, veluti cum injuria illata dicitur occaſio pugnæ, aut belli, aut cædis: quæ ſi ficta eſt, dicitur* prætextus.

Inſtrumentum eſt, quod cauſæ principali in effectione ſubſervit, & iſtius virtute agit.

Harum omnium cauſarum ſit hoc exemplum. Dum *Sempronius* veſpertino tempore unà cum *Pomponio* in nemore ambulat occurrit ei *Titius* uxoris mœchus: hunc ſuadente *Pomponio*, *Sempronius* gladio occidit. Hujus cædis cauſa *Principalis* eſt *Sempronius*, *Proegumena* eſt illius zelotypia; *Procatarticæ* ſunt *Objectum*, *Titius* mœchus; *Occaſio*, *Titii* mœchi in iſtum locum, & eo tempore adventus; *Cauſa moralis*, *Pomponius* ſuaſor; *Cauſa meritoria*, *Titii* adulterium cum uxore *Sempronii*: denique *Inſtrumentum* eſt gladius.

Quid eſt Effectum?

Effectum eſt id, quod ab Efficiente fit; vel quod ab efficiente causâ, actione verâ producitur.

E.g. Poema eſt Effectum Poetæ, qui illud compoſuit; domus Architecti, qui illam ædificavit; mundus Dei, qui illum creavit; filius Patris, qui illum generavit.

N. *Effectum eſt vel* Actio, *vel* Res *actione producta. Eſt autem Actio, reſpectu Agentis, Effectum; & reſpectu Rei actione productæ, Efficiens.*

Quid

Quid eſt Finis?

Finis eſt cauſa propter quam res eſt; vel Finis eſt cauſa externa, cujus gratiâ res eſt, vel fit; hoc eſt cujus amore efficiens incitatur ad agendum.

Ut eruditio eſt finis ſtudiorum, quia eruditionis amore impellitur ſtudioſus ad ſtudendum.

N. *Dicitur autem Finis cauſa externa, quòd non ſit pars effecti illius ad quod producendum amore ſui efficientem incitat.*

Quid eſt Medium?

Medium ſeu Deſtinatum eſt id, quod ad finem conſequendum deſtinatur, & cujus ope efficiens finem conſequitur.

Ut Meditatio eſt eruditionis medium, quia deſtinat ſtudioſus meditari in ordine ad eruditionem conſequendam, & meditando conſequitur ut ſit eruditus.

Quid eſt Subjectum?

Subjectum eſt quod alicui ſubjicitur; vel cui aliquid præter ipſius eſſentiam adjungitur.

Quotuplex eſt Subjectum?

Subjectum quadruplex eſt, *inhæſionis, adhæſionis, locationis*, & *occupationis.*

N. *Hæc quadripartita ſubjecti diviſio facta eſt, non fortè ad mentem Philoſophorum, at certè ad captum puerorum.*

Quid eſt ſubjectum inhæſionis?

Subjectum inhæſionis eſt, cui adjunctum inhæret,

hæret, ſive quod adjunctum in ſe recipit.

Sic *anima* eſt ſubjectum potentiarum, artium, virtutum, vitiorum; corpus, ſtaturæ, pulchritudinis, deformitatis, roboris, infirmitatis, ſanitatis, morborum; *Sol* lucis, caloris, virtutis; & quælibet ſubſtantiæ eſt ſubjectum ſuæ formæ accidentalis, ſeu accidentis ei inhærentis.

Quid eſt ſubjectum adhæſionis?

Subjectum adhæſionis eſt, cui adjunctum extrinſecus accidit, vel adhæret; ſeu quod adjunctum ad ſe recipit.

Sic *homo* eſt ſubjectum veſtium, armorum, divitiarum, poſſeſſionum; & *res temporis*, circumſtantiarum, antecedentium, conſequentium, conjunctorum ſive concomitantium, item ſignificantium.

Quid eſt ſubjectum locationis?

Subjectum locationis eſt, intra quod adjunctum locatur, ſeu quod adjunctum intra ſe continet. Sic *terra* eſt ſubjectum hominum, beſtiarum; *mare* piſcium, navium; *aer* avium, volucrium, nubium; *cælum* ſtellarum, cœlitum; *patria* hominum ibi natorum, vel degentium; *urbs* civium; *ſenaculum* ſenatûs, conſultationis; *templum* rerum divinarum, utenſilium ſacrorum; *forum* mercaturæ; *poculum* vini.

Quid eſt ſubjectum occupationis?

Subjectum occupationis eſt, circa quod adjunctum

ctum occupatur; ſeu quod adjunctum circa ſe occupat; nihilque eſt aliud quàm *Objectum* vel Materia circa quam.

Sic *color* eſt ſubjectum vel objectum visûs, *vox* auditûs; *verum* intellectûs; *bonum* voluntatis, amoris; *malum* odii, metûs; item *ratio* eſt ſubjectum vel objectum Dialecticæ & Dialectici; *Oratio* Grammaticæ & Grammatici; *Morbus* Medicinæ & Medici; item *labor* eſt ſubjectum vel objectum fortitudinis & ignaviæ; *pecunia* liberalitatis & avaritiæ; *voluptas* temperantiæ & intemperantiæ; denique *res cogitata, dicta, ſcripta* eſt ſubjectum, ſive objectum cogitationis & cogitantis, dictionis & dicentis, ſcripturæ & ſcribentis.

Quid eſt Adjunctum?

Adjunctum eſt, cui aliquid ſubjicitur; vel quod alicui præter ipſius eſſentiam adjungitur.

Quotuplex eſt Adjunctum?

Adjunctum quadruplex; primò, *inhæſionis*, quod ſubjecto inhæret; ſecundò, *adhæſionis*, quod ſubjecto adhæret; tertiò, *locationis*, quod intra ſubjectum locatur; quartò, *occupationis*, quod circa ſubjectum occupatur, diciturque *Occupatum*.

N *Horum omnium exempla jam ſuprà dicta ſunt.*

Quotuplex eſt Metonymia?

Metonymia ſextuplex eſt, Efficientis & Effecti; Finis & Medii; Subjecti & Adjuncti.

N. *Vulgò*

N. *Vulgò dictam* Metonymiam Materiæ & Formæ *tractavimus sub* Synecdoche Partis Essentialis, *seu* Materiæ & Formæ; *si non magis (ut spero) rectè, saltem ad puerorum captum magis accommodatè; quippe quibus est facilius concipere Materiam & Formam sub ratione partium constituentium, quàm sub ratione rerum causantium. Qui aliter senserit, potest adhuc retinere nomina* Metonymiæ Materiæ, & Met. Formæ.

CHAP. VIII.

De Metonymia Efficientis.

Quid est Metonymia Efficientis?

Metonymia Efficientis est Tropus, quo ex nomine Efficientis intelligitur Effectum; sive quo nomen Efficientis usurpatur ad significandum Effectum.

Ut *primò*, Cum *Deus* nominatur pro divino aliquo opere, dono vel inspiratione.

Hinc *Lucan.* l. 9. *Ille Deo plenus*, i. e. divino numine vel sapientiâ. Id. *l.* 1. *Plenus Lyæo*, i. e. *Baccho*, pro *Plenus Bacchi furore*. Sic Actor. 11. 24. *Plenus Spiritu Sancto* dicitur pro plenus Spiritûs Sancti donis.

Secundò, Cum nomen *Ejus*, qui rem aliquam ejusve usum *invenit*, *curat*, vel *procurat*, tur pro re ipsâ, vel pro usu rei, quam invenit, curat, procuratve.

Hinc ponitur *Mars* pro prælio; *Bacchus* pro

pro vino; *Ceres* pro pane, *Lucina* pro partu, *Minerva* pro lanificio aliisve artibus; *Venus* pro amore vel libidine.

Huc refertur cum nomen *Datoris* vel *Venditoris* ponitur pro re ab ipso datâ vel venditâ.

Tertiò, Cum nomen *Parentis* ponitur pro *Liberis* vel posteris.

Hinc *Israel* ponitur pro *Israelitis*; *Benjamin*, vel alius Patriarcharum pro tribu ejus. Vide *Isaiæ*, *cap. 9. v. 21.*

Huc refertur cum *Animal* ponitur pro pullis suis; ut *Arbor* pro foliis, floribus, vel fructibus suis.

Quartò, Cum ponitur *Magister* pro Sectâ, doctrinâ, vel disciplinâ suâ.

Ut si dicatur, *Regnat in Scholis Aristoteles*; *Primas obtinet Plato*; *Contendit cum Arminio Calvinus*; *cum Papâ Lutherus*; i. e. Philosophia Aristotelica; Sectatores Platonis, &c.

Huc refertur cum *Legislator* ponitur pro Lege, præmio vel pœnâ ab ipso constitutâ.

Quintò, Cum *Author* dicti, scriptive, ponitur pro suo aliquo dicto vel scripto.

Hinc *Livius* nominatur pro Historiâ *Livii*; *Homerus* vel *Virgilius* pro poematis suis: Sic *Luc. 16. 29. Habent* (inquit *Abrahamus* diviti) *Moysen & Prophetas*, i. e. scripta Mosaïca & Prophetica.

Sextò, Cum ponitur *Opifex* pro opere suo. Ut apud *Juven. Sat. Raræ sine Mentore mensæ*,

i. e.

. e. ſine poculo vel vaſculo à Mentore cælato.

Huc refertur cum *Paterfamiliâs* ponitur pro dificiis, hortis, pomariis, ambulacris, vivariis ſe confectis; vel *Animal* pro latibulis, nidiſve ſe conditis & compoſitis.

Septimò, Cum ponitur *Terra* pro plantis, rboribus, animalibus è ſe productis.

Ut *Iſai.* 40. 6. *Libanus non ſufficiet ad ſuccendendum*, i. e. ligna Libani non ſufficient.

Octavò, Cum ponitur *Sol*, *Luna*, vel *Stella* ro calore, lumine, anno, menſe, die, vel quois effectu ſuo.

Ut apud *Virg.* 1. *Georg. Illa ſeges bis ſolem enſit*, i. e. ſolis calorem. Ibid. *Glebaſque jaentes pulverulenta coquat maturis ſolibus æſtus*; e. fervidis caloribus. Sic *Martial. l.* 5. *Ep.* 21. onoſque ſoles effugere atque abire ſentit, i. e. ies.

Nonò, Cum ponitur *Lux* pro die.

Ut apud *Ovid.* 6. *Faſt. Poſt ſeptem luces Juius actus erit*; i. e. poſt ſeptem dies. Et de *ont. l.* 2. *el.* 1. *Multis lucibus ante*, i. e. multis diebus ante.

Decimò, Cum *Affectus* aliquis ponitur pro ffectu ſuo.

Ut *Mich.* 1. 9. *Iram Domini portabo*; i. e pœnam ab irâ profectam. Sic *Eleemoſyna* ſæpè ponitur pro *dono*, ſeu opere miſericordiæ. Ut *Matth.* 6. 2. *Quum ergo facis eleemoſynam, noli ubâ canere ante te.*

Undecimò, Cum *Qualitas* aliqua ponitur pro effectibus ejus.

Ut si dicatur *Ægrotat ex frigore*, i. e. febre per frigus contractâ. Sic *Cic.* pro *Mil.* dixit, *Resistere levitati multitudinis*, pro *tumultui*, quem conciverat levitas multitudinis.

Duodecimò, Cum *Causa meritoria* sive meritum ponitur pro eo, quod promeretur, sive id bonum sit, sive malum.

Ut *Gen.* 4. 7. *In foribus peccatum aderit*, i. e. peccati pœna. Sic *Gen.* 19. 15. *Nè & tu pereas in scelere civitatis*, i. e. pœna. Ita *Levit.* 20. 29. *Portabunt ambo iniquitatem suam*, i. e. pœnam. Sic *Levit.* 19. 13. *Opus mercenarii non pernoctabit tecum*, i. e. mercedem illius operæ promeritam in diem posterum non retinebis. Ita *Ose.* 4. 8. *Peccata populi mei comedent*, i. e. Sacrificia pro peccatis oblata.

Huc refertur cum *Pretium* ponitur pro Re pretio empta. Ut si dicatur, *Hic decem minæ sunt*, pro *Hic equus decem minis constitit.*

13 Cum *Actio* aliqua ponitur pro effectu suo.

Ut *Psal.* 120. 2. *Laborem manuum tuarum manducabis*, i. e. Cibum manuum labore partum.

14mo Cum *Instrumentum* ponitur pro effecto.

Ut apud *Juven. Sat.* 9. *Rumoribus ulciscuntur baltea*, i. e. Verbera vel vulnera balteis, loricisve inflicta.

15^m

15mo Cum *Membrum* aliquod ponitur pro illius actione, exercitio, operâ, vel opere.

Ut cum dicitur, *Commoda mihi parumper manum tuam*, i. e. manus tuæ actionem, vel operam. Sic cum *Manus* ponitur pro *scripturâ*, *picturâ*, vel *sculpturâ*. Item cum *Lingua* ponitur pro sermone. Ut *Linguam callet Gallicam*, i.e. sermonem Gallicum.

16mo Summatim, cum ponitur aut quodvis *Agens*, vel pro *Actione* suâ, vel pro *Re* quæ ab ipso, ut ab efficiente causâ proficiscitur, agitur, producitur; aut *Author* facti alieni pro eo quod alius fecit ipsius jussu vel suasu, monitu vel hortatu, vel quovis modo ab ipso incitatus, instigatus, adjutus, vel etiam non impeditus cum impediri ab eo debuisset, & potuisset; aut deniq; *Occasio* pro *Re*, quæ ex istâ occasione fit vel evenit.

CAPUT IX.

De Metonymia Effecti.

QUid est Metonymia Effecti?

Metonymia Effecti est Tropus, quo ex nomine Effecti intelligitur Efficiens: sive quo utimur nomine Effecti ad significandum causam Efficientem.

Ut *primò*, Cum *Actio* ponitur pro *Agente*.

Hinc 1 *Cor.* 1. 30. *Chriſtus dicitur nobis à Deo factus ſanctificatio & redemptio*, i. e. Sanctificator & Redemptor.

Secundò, Cum ponitur *Factum* pro *Faciente*. Hinc *Virgil.* vocavit *Scipiadas cladem Libyæ*, quod ab illis *Libyæ* clades illata ſit. Sic dicitur, *Animadverſum eſt in peculatum*, pro *in peculatorem*.

Huc refertur cum *Scriptum* ponitur pro *Scriptore*, vel quodcunque *Opus* pro *Opifice*. Ut, *Pœnas dedit illud Opus*, i. e. *Ovidius* operis illius Author.

Tertiò, Cum *Productum* ponitur pro *Producente*.

Hinc dicitur ab *Horat. l.* 3. *Ep.* 3. *Expalluit* pro *extimuit*; quod timor, pallorem in timentibus producat. Sic dixit *Juven.* 11. *Sat. Pallet fœnoris auctor*, pro timet. Et *Perſ. Sat.* 3. *Intus palleat*, pro timeat. Sic ab *Horat.* 1. *Carm. Od.* 9. ponitur *Canities* pro *Senectute*, quia ſenectus canitiem producit.

Hinc ponuntur *Liberi* vel *Poſteri* pro parentibus. Ut *Gen.* 25. *Duæ gentes ſunt in utero tuo*, h. e. gentium duarum auctores, *Jacob* & *Eſau*.

Hinc ponitur etiam *Res pretio parata* vel paranda, pro *pretio* unde paretur. Ut *Juven. Sat.* 11. *Eſt tibi gobio tantùm in loculis*, i. e. gobionis pretium, ſeu nummus quo ematur gobio.

Hinc

Hinc ſummatim ponitur quod *provenit aliunde* per modum Efficientiæ pro eo unde provenit. Ut *miror unde ſit*, i. e. ignoro, quia admiratio ab ignorantia deſcendit. *Multi ſudoris eſt*, i. e. laboris; quia ex labore provenit ſudor. *Magnum vectigal eſt parſimonia*; quia magnum ex parſimoniâ vectigal provenit. *Nobilitas ſola eſt atque unica virtus*, quia ex ſolâ virtute vera nobilitas provenit.

Quartò, Cum *Inſtrumentum* ponitur pro *Efficiente*.

Ut cum *Virg.* ait, *Nec retia cervis ulla dolum meditantur.* Ubi per *retia* intelligit *retiarios*. Niſi ſi quis malit hunc Tropum referre ad Metonymiam Adjuncti.

N. *Quamvis reſpectu Effecti Inſtrumentum eſt Efficiens: tamen reſpectu Efficientis videtur eſſe Effectum; cum ab Efficiente ſit, ut ſit aliquid ejus Inſtrumentum.*

Quintò, Cum ponitur *Facinus* pro *Morali* ejus *Causâ*, ſeu pro Authore, juſſore, inſtigatore, ſuaſore, &c.

Ut cum dicitur *David* interfeciſſe *Uriam* (2 Sam. 12. 9.) *Achabus Nabothum* (1 Reg. 21. 19.) *Judæi Chriſtum* (Act. 2. 15. & 5. 30.) nempe quod alios juſſu, ſuaſu, vel hortatu ſuo incitârunt & inſtigârunt ad eos interficiendos.

Sextò, Cum ponitur *Effectum* pro illius *Occaſione* vel *Merito*.

Ut cum dixit *Cic. Mors Clodii ſalus veſtra fuit*, i. e. ſalutis veſtræ occaſio. Sic *Phil.* 1. 25. *Mors mihi lucrum erit*, i. e. occaſio lucri.

Septimò, Cum *Epitheton* Effecti proprium tribuitur cauſæ Efficienti.

Ut cum dicitur ab *Horatio*, *Mors pallida*, quod in mortuis pallorem efficiat; à *Cicerone*, *Victoria inſolens & ſuperba*, quod victores efficiat inſolentes & ſuperbos.

Hunc ad modum dicitur *bruma iners*, *ira præceps*, *adoleſcentia hilaris*, *ſenectus moroſa*, *otium ſegne*, quod bruma reddat homines inertes, ira præcipites, adoleſcentia hilares, ſenectus moroſos, otium ſegnes.

Sic apud *Ciceron.* pro *Lig.* dicitur *timor cæcus*, ſcil. quod timor efficiat homines cæcos, nempe quoad intellectum, qui eſt animæ oculus. Item ab *Horatio* dicitur *amor ſui cæcus*, (quia *ſui amor* efficit *ſe amantem* cæcum, ſcil. quoad intellectum) *lib.* 1. *Od.* 18.

CAPUT X.

De Metonymia Finis & Medii.

Quid eſt Metonymia Finis?

Metonymia Finis eſt Tropus, quo ex nomine Finis intelligitur Medium; ſeu quo nominatur *Finis*, & intelligitur *Medium*.

Ut

Ut *Joh.* 17. 3. *Hæc eſt vita æterna*, i. e. vitæ æternæ medium, ſeu illud quo ad vitam æternam pervenitur.

Sic *honor* ponitur pro *ſacrificio*, quod ad honorem Dei deſtinatur, & medium eſt quo Deus honoratur. Hinc *Virg. Æn.* 1. *Aut ſupplex aris imponat honorem.*

Quid eſt Metonymia Medii?

Metonymia Medii eſt Tropus, quo ex nomine Medii intelligitur Finis; ſeu quo nominatur Medium, & intelligitur Finis.

Ut cum *Amator ſtudiorum* dicitur pro *amatore ſapientiæ.* Aut cum iter ſuſcepturus dicit, *Hoc iter me malè habet*; cum illum verè non malè habeat ipſum iter, ſed illud ad quod iter deſtinatur, & cujus gratiâ ſuſcipitur. In illo *Juvenal. Sat. 9. Quanto metiris pretio? metiris* ponitur pro *æſtimas*: at hoc eſt *medium* pro *fine*; cum ideo res metiamur, ut eas æſtimemus.

Sic dicitur *Gen.* 20. *Is tibi eſt operimentum oculorum*, h. e. is ob quem velari debes in ſubjectionis ſignum; ut locum interpretatur *Voſſius.*

CAPUT XI.

De Metonymia Subjecti.

Quid eſt Metonymia Subjecti?

Metonymia Subjecti eſt Tropus, quo ex

nomine Subjecti Adjunctum ſignificatur.

Quot præcipuè modis fit Metonymia Subjecti?

Metonymia Subjecti quatuor præcipuè modis ſit.

Quis eſt primus Modus?

Primus Modus eſt, quando *Subjectum Inhæſionis* ponitur pro *Adjuncto inhærente*; ſeu quando nomen *Subſtantiæ* ponitur pro forma accidentali, ſeu accidente interno.

Ut cum *Cor*, *Jecur*, vel *Cerebrum*, quæ ſapientiæ ſedes ſunt, ponuntur pro *ſapientiâ*, quæ in corde, jecore, vel cerebro ſedem habere dicitur. Hinc illud in *Caton. Grammaticum*, En *cor Zenodati*, en *jecur Cratetis*. Et illud *Horatii*, *l.* 1. *Sat.* 9. *O te Bollane cerebri felicem*! Hoc eſt (aiente *Voſſio*) O te beatum ob mentem adeò præclaram ac generoſam!

Item cum *os* vel *frons* ponitur pro *pudore*, qui in ore vel fronte reſidet. Hinc *Perſius* ait, *Periiſſe frontem de rebus.*

N. Subſtantia *eſt ens ſeu res per ſe ſubſiſtens & ſubſtans accidentibus.* Accidens *autem eſt, quod diverſo poteſt tempore & adeſſe & abeſſe ſine ſubjecti ſui interitu, h. e. quod ſine contradictione poteſt de ſubjecto ſuo vel affimari vel negari, ab eoque vel re ipsâ, vel ſaltem cogitatione ſeparari. Ut anima eſt ſubſtantia, ſcientia eſt accidens; & paries eſt ſubſtantia, albedo accidens.*

Quis eſt ſecundus Modus?

Secundus Modus eſt, quando *Subjectum adhæſionis* ponitur pro *Adjuncto adhærente*; ſeu quando

do id quod aliud ad ſe recipit, ponitur pro eo quod recipit ad ſe.

Ut, *primò*, quando nomen *Rei*, *quæ per aliquod tempus eſt vel fit*, ponitur pro *Tempore* in quo res illa eſt, vel eſt facta.

Sic nomen *Meſſis*, quæ in æſtate eſt, uſurpatur ad ſignificandum æſtatem, per quam eſt meſſis. Hinc illud *Virgilianum*, 1. Georg. *Ante focum, ſi frigus erit, ſi meſſis, in umbrâ.* Item illud *Plinianum* (l. 22. c. 13.) *Semen* (ſc. urticæ) *colligi miſſibus oportet.* Et illud *Juvenalis*, Sat. 9. *Expectate cicadas*, i. e. æſtatem.

N. *Quanquam* Res *dicatur eſſe in* Tempore, *tamen* Res *Subjectum eſt, &* Tempus *Adjunctum: quia Tempus eſt Rei accidens, & circumſtantia. Nam accidit Rei ut in iſto Tempore exiſtat vel fiat.*

Secundò, Quando nomen *Rei ſignatæ*, ponitur ad ſignificandum illius *Signum.*

Ut cum dicitur (1 *Corinth.* 11. 10.) *Ideò debet mulier habere poteſtatem* (h. e. velamen, ſignum poteſtatis, quam vir habet in mulierem) *ſupra caput.* Sic dixit *Juvenal.* Sat. 10. *Crepat ingens Sejanus*, i. e. Sejani ſtatua, ſcil. dum crematur.

Sic de clypeatâ fratris ſui in imagine ingentibus lineamentis uſque ad pectus ex more pictâ, dixit *Cicero*, *Frater meus dimidius major eſt quàm totus*; h. e. Dimidiata fratris mei imago major eſt, quàm ipſe frater totus.

Sic

Sic dixit *Virg. Orpheaque in medio poſuit, ſylvaſq; ſequentes*, intelligens tantùm cælatas Orpheos & ſylvarum imagines.

Nec eſt quicquam uſitatius, quàm Deorum, & Heroum ſigna ac ſtatuas, eorum vocari nominibus, quorum ſigna ſunt, ut ait *Voſſius*. Hinc de *Jovis Ammonis* ſtatua dicit *Lucan.* l. 9. *Stat corniger illic Jupiter*. Hinc etiam ponit *Juvenal.* Sat. 9. *Ganymedem* pro Ganymedis ſtatua.

N. Signum *eſt Adjunctum externum, quod ſeipſum ſenſibus, & illud, cujus eſt ſignum, intellectui offert. Ut veſtigium eſt ſignum pedis; pictura eſt ſignum perſonæ, &c.*

Dici poteſt hic Modus Metonymia Signati.

Tertiò, Quando nomen *Perſonæ* ponitur ad ſignificandum ejus *veſtitum*.

Ut, *Aſperſit me labe*, i. e. veſtitum meum.

Quartò, Quando nomen *Poſſeſſoris* ponitur ad ſignificandum *rem* ab illo poſſeſſam.

Ut cum apud *Virg. ardere dicitur Vcalegon*, cum tamen non ipſe ardeat, ſed ipſius domus. Sic dixit *Terentius*, *Apud me*, pro domi meæ; Item *Cicero*, *Apud Pompeium*, pro in Pompeii ædibus. Sic *Juven.* Sat. 10. *Longinum clauſit*, i.e. *Longini* domum.

Huc refertur, cum *homo* devorari dicitur, cujus opes conſumuntur. Ut apud *Terent. Quid te futurum cenſes, quem aſſiduè exedent*, i. e. cujus opes conſument. Et apud *Plaut.* in Pſeud. ac. 4. *Jam illum comeſurus es?*

N. *Opes*

N. *Opes, omniaque fortunæ dona homini accidunt, eique extrinsecus adjunguntur, ideoque Possessor illa ad se reciens habet rationem subjecti, & nomen subjecti sortitur.*

Huc item refertur, cum *Deus loci* pro *loco* ponitur: nempe quia Deus ille consideratur ut Dominus loci, & locus ut regnum Dei, quod quasi sortitò ei obligit.

Ut, cum dicitur apud *Horat.* l. 1. Od. 1. *Manet sub Jove frigido venator*, per Jovem intelligitur aer, quia *Jupiter* est aeris Deus. Sic cum apud *Plaut.* dicitur, *Neptuno crédat sese*, per *Neptun.* intelligitur mare, quia *Neptunus est maris Deus.*

Item cum nomen *Dei* vel *Deæ* ponitur ad significandum ejusdem *Templum.*

Hinc illud *Juvenal.* Sat. 9. ver. 22. &c. *Nuper enim, ut repeto---- Cererem*, i. e. Cereris templum.

Nec quicquam est frequentius, quàm *Larem*, h. e. familiarem Deum pro *domo* poni. Hinc *Parvo sub Lare* dicitur, pro *parvâ sub domo*, apud *Horat.* Et *Homo incerti Laris* significat hominem incertæ domûs, apud *Senec.*

Simili ratione *Nomen Dei* sæpe ponitur pro *Re* cui præsidet.

Ut cum *Vulcani* nomen pro *igne* ponitur. Hinc apud *Virg.* dicitur, *Dulcis musti Vulcano decoquit humorem*, nempe quod *Vulcanus* igni præsideat. Sic apud *Catull. Jupiter* pro vento

poni-

ponitur, quòd vento, qui eſt aer motus, præſideat. Hinc in illo *Nævii*, *Coquus edit Neptunum*, *Venerem*, *Cererem*, *Neptunus* ponitur pro piſculentis, *Venus* pro oleribus, ut quæ hortorum præſes ſit.

Huc denique refertur cum *nomen Imperatoris* ponitur pro *exercitu*, quem habet, & cui præſidet.

Ut cum *cæſa* dicimus ab *Annibale apud Cannas ſexaginta Romanorum millia*. Nempe quia Imperatori velut ſubjecto accidit, & quaſi adjungitur exercitus, cui præeſt, Niſi forte locutio iſta referri potiùs debeat ad Synecdochen Partis Integralis pro Toto, Ut cum ponitur *caput* pro *homine*; *Dux* autem eſt quaſi *caput* exercitûs.

Quintò, Quando nomen *Patroni* ponitur ad ſignificandum *Clientem*; & nomen *Advocati* ad ſignificandum *Reum*.

Ut cum *Cicero Cæcinnæ* patronus ſub *Cæcinnæ* perſonâ alloquens *Piſonem Ebutii* advocatum tanquam gerentem *Ebutii* perſonam dixit, *Reſtituiſſe te dixti? Nego me Prætoris edicto reſtitutum eſſe*.

N. *Subjectum eſt* Patronus *&* Advocatus, *quia patronus clientem, advocatus reum ad ſe ſibi tutandum & defendendum recipit.*

Sextò, Quando nomen *Antecedentis* ponitur ad ſignificandum *Conſequens*.

Ut

Ut cum *discubuisse* eos dicimus, quos *cœnantes esse* intelligimus.

N. *Hoc cum sit dici potest* Metonymia Antecedentis.
N. *Quia Consequens videtur Antecedenti quasi adjungi, & Antecedens videtur recipere ad se consequens, nec potest esse Consequens nisi præcesserit Antecedens, ideò Antecedens ad subjectorum Speciem commodè referatur.*

Quis est tertius Modus?

Tertius Modus est, quando *Subjectum locationis* ponitur pro *Adjuncto* intra se locato.

Ut, *primò*, Cum *nomen Loci*, quem quis inhabitat, pro ipso incolâ usurpatur. Hinc dixit *Ovid. Neve foret terris securior arduus æther*; ubi per *terras* intellexit *homines* terrarum incolas, & per *ætherem*, *cœlites*, qui cœlum inhabitant. Sic *Virg.* dixit, *Invadunt urbem somno vinoque sepultam*; ubi per *urbem* intellexit cives. Sic *Cicero*, *Italiam*, *Siciliam*, *Africam*, *Galliam* posuit pro *Italis*, *Siculis*, *Africanis*, *Galliisque* hominibus posuit.

Secundò, Cum *nomen Loci* ponitur pro *Rebus* in loco haberi, fieri, vel geri solitis. Ut cum *Cicero Forum*, *Subsellia*, *Curiam*, pro *actionibus Rhetoricis* in foro, subselliis, Curiâq; agi consuetis posuit.

Tertiò, Cum quodvis *Corpus continens* ponitur pro *Re* in illo *contentâ*. Ut, *Ille impiger hausit spumantem pateram*, i. e. vinum. Sic apud *Horat.* l. 1. Od. 17. *Nec virides metuunt colubros hædilia*, sive (ut alii contendunt debere legi)

legi) *bæduliæ*, i. e. hœdulorum ſepta. Ubi per *bædilia* intelliguntur *hœduli*.

Dici poteſt hic Modus Metonymia Continentis.

N. *In hoc tradendo modo locutus ſum non κατ' ἀκρίβειαν, ſed κατὰ δόξαν. Nec enim propriè locatum eſt in loco ut in ſubjecto, uti nec contentum in contento. Sed aliquando loquendum eſt cum vulgo, cum ſentiendum eſt cum ſapientibus.*

Quis eſt quartus Modus?

Quartus Modus eſt, quando *Subjectum Occupationis*, ſeu *Objectum*, ponitur pro Adjuncto circa ſe occupato; vel quando *nomen Objecti* ponitur ad ſignificandum *Occupatum*, ſeu *Rem* quæ circa objectum illud verſatur.

Ut cum *Virgilius* dixit, *Formoſam reſonare doces Amaryllida ſylvas*, per Amaryllida intellexit carmen de Amaryllide. Idem dixit, *incidere amores arboribus*, pro--- verſus de amoribus.

Dici poteſt hic modus Metonymia Objecti.

N. Objectum *id eſt, circa quod res aliqua operando verſatur, ſeu occupatur.* Occupatum *eſt id quod occupatur ſeu verſatur circa objectum.*

CAPUT XII.

De Metonymia Adjuncti.

Quid eſt Metonymia Adjuncti?

Metonymia Adjuncti eſt Tropus, quo ex nomine

nomine Adjuncti Subjectum intelligitur.

Quot præcipuè modis fit Metonymia Adjuncti?

Metonymia Adjuncti quatuor præcipuè modis fit.

Quis est primus Modus?

Primus Modus est, quando nomen *Adjuncti interni*, sive Accidentis inhærentis ponitur pro substantiâ, sive subjecto cui inest vel inhæret.

Ut cum nomina *Virtutum* & *Vitiorum* ponuntur pro *Personis* in quibus sunt illæ virtutes ac vitia. Cujus generis est illud *Ciceronis* in Cat. 1. *Ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia; hinc pudicitia, illinc stuprum*, &c. i. e. homines pudici & petulantes, &c. Sic cum *Potestas* ponitur pro *Magistratu*; ut apud *Juven. Sat.* 10. *v.* 100. & *Rom.* 13. 1.

Item cum *colores* ponuntur pro *rebus coloratis*. Ut apud *Virg. Nectte tribus nodis ternos Amarylli colores*, h. e. tria licia colorata.

Quis est Secundus Modus?

Secundus modus est, quando *Adjunctum externum*, sive adhærens ponitur pro Subjecto, cui adhæret, quodve illud ad se recipit.

Ut, *primò*, Quando nomen *Temporis*, *Ætatis*, vel *Seculi* ponitur ad significandum *Personas* vel *Res*, quæ in isto tempore, ætate, vel seculi fuerunt, factæve sunt. Hinc *Virg.* dixit, *Aspera mitescent sæcula*, i. e. seculorum istorum homines. Sic *Cicero* per *seculi* sui *insolentiam* intel-

intellexit inſolentiam *hominum*, qui in ſuo ſeculo extiterunt. Sic utimur nominibus *juventutis* & *ſenectutis* ad ſignificandum homines hujus vel illius ætatis, ſcil. *juvenes* vel *ſenes*.

Secundò, Quando ex nomine rei poſſeſſæ intelligitur Poſſeſſor.

Ut cum *Virg.* 5. *Eclog.* ait — *Nec retia cervis Ulla dolum meditantur.* Ubi *retia* ponuntur pro rètiariis.

Tertiò, Quando ex nomine *Signi* intelligenda eſt *res ſignata*, ſive ſignificata.

Ut cum *Cicero* ex nominibus *togæ* & *armorum*, quæ pacis & belli ſigna ſunt, intelligi voluit *pacem* & *bellum*, quorum illa erant inſignia. Sic *faſces* & *purpura* magiſtratûs inſignia, pro ipſo *magiſtratu* uſurpantur; item *ſceptrum* pro *regno*. Sic *pubes* incuntis juventutis ſignum pro ipſâ *juventute* ponitur; item *canities* pro *ſenectute*. Sic *nomen* ponitur pro *perſonâ*; ut *Actor.* 1. 15. ὄχλος ὀνομάτων, i. e. turba nominum dicitur pro turbâ hominum. Sic *digito uno caput ſcalpere*, ponitur ad ſignificandum *mollem*.

Hic Modus dici poteſt Metonymia Signi.

Quartò, Quando ex *Conſequente* intelligi debet *Antecedens*.

Ut cum dicimus eum de *mensâ ſurrexiſſe*, quem intelligimus *cœnâſſe*; vel eſſe *ſepultum*, quem ſignificamus eſſe *mortuum*; vel eſſe illam in *lectum deductam*, quæ *modò peperit*. Hinc *Virg.*

Virg. Eclog. 3. Ipſe aries nunc vellera ſiccat, i.e. modò in flumen decidit.

Hic Modus dici poteſt Metonymia Conſequentis.

Quintò, Quando *Connexum* vel *Concomitans* ponitur pro Connexo vel Concomitante.

Ut cum *Judæi* dicunt *pedes tegere*, pro *alvum levare*; & cum nos dicimus *exclamare* pro *partu laborare*, quod apud illos alvum levantes *pedes tegant*, apud nos partu laborantes plerunq; præ partendi dolore exclament.

Sic dixit *Petronius*, *Hic eſt apud quem cubitum ponetis*, pro cœnabitis; nempe quia cœnantes ſe in cubitum reponebant.

Poteſt dici hic Modus Metonymia Connexi vel Concomitantis.

Sextò, Quando Aurora, vel Oriens, &c. ponuntur pro regionibus, locisve quæ ſunt ipſis ſubjecta.

Ut *Juven. 10. Sat. Omnibus in terris, quæ ſunt à Gadibus uſque Auroram*, i. e. Indiam Orientalem. Sic *Matth. 2. 1. Magi ab Oriente* [i. e. ab Orientali regione] *advenerunt*.

Quis eſt tertius Modus?

Tertius Modus eſt, quando *Locatum* ponitur pro Subjecto intra quod locatur.

Ut, *primò*, Cum ex *Re*, quæ eſt, vel fit in loco intelligitur *Locus*, in quo Res eſt vel fit. Ut, *Te quæſivimus in libellis*, i. e. bibliothecis. Sic *Matth. 22. 13. Conjicite eum in tenebras exteriores*,

riores, i. e. in locum tenebricoſum. Hoc modo *Ludus*, qui in *Circo* fit, ponitur pro *Circo*, in quo fit *ludus*.

Secundò, Cum ex nomine *Contenti* intelligitur *Continens*. Ut, *Vina coronant*, i. e. pateras, quibus vina continentur.

Dici poteſt hic Modus Metonymia Contenti.

Quis eſt quartus Modus?

Quartus Modus eſt, quando Occupatum ponitur pro *Objecto*: ſeu quando *Res*, quæ circa objectum aliquod verſatur, ponitur ad ſignificandum *Objectum* circa quod occupatur.

Ut, *Juravit per timorem patris ſui*, i. e. per Deum, quem pater timuerat. Sic *Virg. Ecl.* 7. *Nymphæ noſter amor Libethrides*, i. e. quas amamus. (Quo modo de *Chriſto* dixit *Ignatius*, ὁ ἔρως μου ἐσταύρωται) *Id. Ecl.* 10. *Tua cura Lycoris*, i. e. quam tu curas. Sic *Proverb.* 13. 12. *Spes* (i. e. res ſperata) *quæ differtur, affligit animam.* Et 1 *Sam.* 1. 21. *Dedit mihi Dominus petitionem meam*, h. e. rem à me petitam.

Dici poteſt hic Modus Metonymia Occupati.

Denique ad Metonymiam Adjuncti refertur quando de Adjuncto tribuitur in *Epitheto* aliquo, ſeu Adjectivo nomine, quod de Subjecto ejus intelligitur.

Ut cum *mortalia* dicuntur *arma*, quæ *mortalium* arma ſunt; non enim arma ſunt mortalia

lia, ſed homines, quorum ſunt arma. Sic dicuntur *iracunda fulmina*, cum ira non competat fulminibus, ſed fulminanti. Sic dicitur armatum funus, cum propriè non funus (*the burial*) ſed funerantes (*the Buriers*) cum armis ſint.

CAPUT XIII.

De Metaphora.

Quid eſt Metaphora?

Metaphora eſt Tropus, quo ex ſimilium uno alterum intelligitur; ſive quo, quod alteri rei ſimile eſt, ejus vocatur rei nomine cui eſt ſimile.

Ut cum *Chriſtus Herodem* vocavit *vulpem*, quòd eſſet ſimilis vulpi, nempe aſtutiâ. Sic de *Didone* dixit *Virgil. Magnoque irarum fluctuat æſtu*, quòd, dum incerta huc & illuc raperetur, ſimilis erat aquæ alternis vicibus rurſum prorſum fluenti, & refluenti.

Dicitur Μεταφορὰ *Metaphora*, ſive Tranſlatio, à *μεταφέρω transfero*; quòd hoc Tropo quaſi *transfertur* vox à ſuâ ſignificatione in alienam, h. e. ad ſignificandum non id, quod primò quidem propriéque ſignificat, ſed aliud quiddam, quod huic reſpectu aliquo ſimile eſt.